# DE CHOREA STI VITI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*MICH. STEPHAN. BULMERINCQ,*

RIGENSIS.

Ж

DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXIX.

BIBLIOTH: ACADEM: DORPAT:

Imprimatur,

sub conditione, ut simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, collegio explorandis libris constituto quinque exempla tradantur.

Dorpati Livonorum die XXX. mens. Apr. MDCCCXXIX.

Dr. Fridericus Erdmann,
h. t. Ord. Med. Decanus.

D 16594

VIRO ILLUSTRISSIMO

GENEROSISSIMO EXCELLENTISSIMO

# CONR. A STOFFREGEN,

MED. ET CHIR. DOCTORI, A CONS. INTIMIS ROSSICIS,
ORDINIS STAE ANNAE PRIMAE CLASSIS EQUITI
ETC. ETC. ETC.

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

GRATI ERGA ILLUM ANIMI

DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

## Prooemium.

Lector benevole!

Dissertatiunculam Tibi tradens non possum, quin etiam atque etiam clementiam tuam, ut veniam des tironi, qui pauca forsan arida conscripserit, provocem, nam tum temporis angustia, tum librorum defectu, denique manca mea experientia, quin uberiora proferrem, impeditus, tantum, ut legibus academicis pro virium modulo satisfacerem, studere debui. Bono igitur et aequo animo hasce literarum primitias accipias!

Praeceptoribus meis Clarissimis publice justas gratias solvo, quod mihi nonnullis ipsorum libris utendi potestatem in elaborando hoc opusculo fecerunt, neque minus Theologiae Professori, Cl. Busch, quod nonnulla opera, de historia ecclesiastica scripta, benigne mecum communicavit.

## Morbi historia.

*Si morbi cujuslibet historiam diligenter perspectam haberem, par malo remedium nunquam non scirem adferre.* *Sydenham.*

Choream Sti Viti, morbum nervosum, pro ratione aliorum morborum serius demum medici attentione accuratiore dignati sunt, maxime fortasse, quoniam hic morbus, sicuti nonnulli similes, quorum discrimina diagnostica nuper demum magis illustrata sunt, raro observatur.

Multa unius ejusdemque morbi nomina — (der Johannistanz (Schnurrer), der Veitstanz, die Tanzkrankheit), chorea Sti Viti, Sti Modesti (Bollandus), saltus Viti, choreomania, ballismus, epilepsia saltatoria, orchestromania, scelotyrbe (Hippocrates, Plinius, Galenus, plurimi medici Anglici et Francogallici), morbus gesticulatorius (P. Frank), saltuosa membrorum indispositio, chorea puberum, hieranosis (Schmalz) — satis ostendunt, quam vagae medicorum sententiae de hoc morbo fuerint, et ex parte



adhuc sint. Multa morbi exempla sub nomine choreae descripta sunt, quae secundum opinionem meam huc omnino non pertinent, sic v. c. Tulpius (1) sub nomine saltus Viti de affectione, ictu araneae tarantulae provocata, loquitur, contra v. c. Heister (2) et Hannaeus (3) sub aliis nominibus casus choreae adnumerandos afferunt.

Medici antiquissimi, solo Hippocrate excepto, de hoc malo aut manca, aut nihil omnino cogitaverunt, cum verbo scelotyrbe, (a verbis σκέλος — femur, et τύρβη — saltatio) statum a chorea prorsus diversum significent. Hippocrates (4) scelotyrben hoc modo describit: „Medulla spinae affecta, homo nec crurium, „nec vesicae aut ventris officii potens est, nisi „urgente necessitate. Si vero morbus invalue„rit, tum aliquando praeter voluntatem meiit „et egerit.“

Galenus (5) „scelotyrbe, quasi cruris turba „et perturbatio, species est resolutionis, qua „erectus homo ambulare non potest, et latus „quandoque dextrum in sinistrum, quandoque „sinistrum in dextrum, vel vicissim circumfert, „interdum quoque pedem non attollit, sed at„trahit, velut ii, qui magnos clivos ascendunt.“ Hebenstreit de hoc Galeni loco tantum dixit, fuisse illum femorum morbum cum carie conjunctum (6); Sauvages (7) de Galeni loco haec dixit: „qua descriptione idem expressisse mihi videtur, quod Neoterici choream Viti nominant,“ nullis, quibus hanc opinionem probet, allatis argumentis. Mihi quidem verisimilius videtur, Galenum eo malum extremitatum inferiorum scorbu

ticum descripsisse, quam sententiam etiam magis probat hic Plinii locus (8): „trans Rhenum castris a „Germanico Caesare promotis, maritimo tractu „fons erat aquae dulcis solum, qua pota inter „biennium dentes deciderent, compagesque in „genibus solverentur. Stomacacen vocabant et „scelotyrben ea mala.“ Mirum tamen mihi fuit, quod cel. Sprengel (9) hos locos omnino neglexisse videtur, cum scorbutum seculo decimo tertio primum animadversum esse contendat, pagina sequente addens, nulli propemodum antiquiori scorbuti observationi fidem esse habendam. Quamvis in universum omnino ei assentiar, tamen praecipue locum Plinii excipiendum esse arbitror, et ipse Sprengel quoque in opere postea edito his Plinii verbis scorbutum innui fassus est (10).

Ex aetatis mediae barbarie nullum paene morbi nostri descriptionis vestigium invenitur. Anno MCCCLXX et sequente epidemia magna grassata est, de qua nuper cl. Schnurrer, quae maxime memoratu digna sunt, contulit (11). Contentus sim oportet ipsa illius verba afferre, quoniam ad fontes, e quibus ille hausit, adire non potui, neque tamen mihi liquet, quo jure Schnurrer insaniam epidemicam, anno MCCCLIV in Anglia observatam, quam ne Webster quidem accuratius describit, p. 335 choreae adnumerare possit, etenim p. 346 haec exhibet: „Es wurde schon im Jahre 1354 einer epidemischen Tollheit in England erwähnt. Diese Erscheinung wiederhohlte sich dort im Jahre 1373 und theilte sich Jahrs darauf in den Sommermonaten über Brabant und Nieder-Deutschland,



besondors Utrecht, Spaa, u. s. w. fast dem ganzen übrigen Europa mit. Die Zufälle werden verschieden erzählt, nach Chr. Sponheim wären die von dem Übel befallenen Männer, und Weiber, Jünglinge und Mädchen zuerst schäumend und bewuſstlos zu Boden gestürzt, und wenn sie sich wieder bewegen konnten, hätten sie bis zur Ohnmacht tanzen müssen. Es scheint aber nicht bei einem einzelnen Anfall sein Bewenden gehabt zu haben, sondern schon einmal Ergriffene hatten eine wahre Manie zu tanzen. Sie liefen von den Ihrigen, gesellten sich zu ihres Gleichen, liefen fast nakkend, nur mit Blumen bekränzt und einen Gürtel um den Leib, einander an den Händen haltend durch die Straſsen und tanzten besonders in der Nähe von Kirchen und Wallfahrtsorten, bis sie niedersanken und ihnen der Leib auflief, so daſs man dieselben binden muſste (Bzovius, Mezaray). Wer ihnen aufmerksam zuschaute, der lief Gefahr von demselben unwiederstehlichen Drange zum Tanzen befallen zu werden, oft scheint es aber auch geschehen zu seyn, daſs solche Verrückte von Hinzukommenden durch Tritte und Schläge aufgerüttelt wurden. Denn es gab Viele, besonders in den folgenden Jahren, die eben an Wallfahrtsorten oder sonst an Stellen, wo sie mit einer andächtigen Menge zusammenzutreffen hofften, von Verzuckungen befallen sich anstellten, und durch die Heftigkeit ihrer Bewegungen Andere zu ähnlichen hinrissen. Im Jahre 1381 wurden zu Augsburg zwei Begharden und ein Baarfüſser — Mönch verbrannt, weil man sich überzeugt

hatte, daſs ihre Ekstase künstlich dargestellt war. Im Anfang nannte man die Erscheinung Johannistanz, und erst später wurde die Benennung St. Veitstanz allgemeiner. Diesen Namen erhielt die Krankheit nicht, weil man diesem Heiligen einen besondern Bezug zu der Krankheit andichtete, sondern weil der Ausbruch der Krankheit am häufigsten in die Jahreszeit fiel, in welcher gerade die Wallfahrten ihre Richtung zu den Capellen dieser Heiligen, deren Namensfeste begangen wurden, nahmen und Horst (Greg. Horstii observationum medicinalium singularium libri IV. priores. His acced. epistolae, epist. VII. p. 119. Norimb. 1660) kannte noch zu Ende desselben Jahrhunderts Weibspersonen, die alljährlich gegen St. Veitstag hin sogleich von einer solchen Tanzlust befallen wurden, daſs sie jedesmal zu einer in der Nähe Ulms befindlichen Capelle eilten und dort bis zur Erschöpfung tanzten, worauf sie das ganze Jahr hindurch wieder gesund und unangefochten blieben, eine Erscheinung die schon Willis (Th. Willis opera omnia. Amstel. 1682 cap. 7 de motibus convulsivis p. 41) mit dem Taranteltanze verglich.“

Extra omnem dubitationem positum est, nomen choreae Sti Viti, etiam nunc maxime usurpatum, pauló post epidemiam modo expositam ubique esse adhibitum. Cum vero in nullo libro de rebus medicis, quod sciam, de Sti Viti vita, et vi, quam vivus habuerit in religiosas vulgi opiniones, verba facta sint, gravissima momenta e Bollando (12) afferam, postquam monuero, Acta Sanctorum Bollandi,



sodalis societatis Jesu Christi, anno MDCLXV mortui, ab ecclesia ipsa catholica profecta, ab eademque sancita esse, deinde XV mensis Junii diem styli veteris, Sto Vito sacrum, hodieque hujus Sti nomine appellari (13).

St. Vitus, (nomen fortasse ortum est per aphaeresin e verbo avitus, vel originis Germanicae et quidem e verbo Guido, itineris dux, ductor, contractum) fuit filius Hylae pagani, nobili loco in Sicilia natus. Barida vel Crescentia, mater ejus, Christianorum coetui addicta, effecit, ut a Modesto (inde chorea Sti Modesti) in religione Christiana erudiretur, dum pater ipsum hanc ob rem crudeliter castigavit. Puer sanctus gratiam referens patri amissum oculorum lumen restituit, neque tamen eum ad religionem Christianam amplectendam adducere potuit. Fama de ejus vi miracula edendi cito ad Diocletiani, imperatoris, aures pervenit, qui puerum, duodecim annos natum, cum matre et Modesto, praeceptore, Romam arcessivit, eumque, cum diis sacra facere constanter recusaret, primo compedibus ferreis vinciri jussit, deinde minando, se ipsum bestiis objecturum esse, ut deficeret, efficere conatus est, tandem puerum constantem in fornacem plumbo piceque candente repletam injici jussit. Sed angelus ignem exstinxit, et Vitus incolumis e fornace prodiit. Neque leo, jam emissus, devorare eum voluit, sed, cum puer signum crucis faceret, ejus pedes lambit. Quo facto Diocletianus illum cum confessoribus suis, Crescentia et Modesto, in tormenta dari, ac crudelissime vexari jussit, sed pueri precibus fulmina, tonitrua et

terrae motus exorta sunt, ita ut rursus liberandus esset. Tandem angelus ejus laboribus finem imposuit. Vitus jam mortuus est in magna ista Christianorum persecutione, a Diocletiano instituta, probabiliter anno CCCIII vel CCCIV. Quo anno natus sit, invenire non potui. Tres dies aquilae e coelo missae mortuum custodiverunt, qui Romae tertio die sepultus est. Anno vero DCCLV ejus reliquiae Parisios et anno DCCCXXXVI inde Corbeiam, monasterium recens conditum ad Visurgim, apportatae sunt. Illuc maxima ex parte itinera religiosa fiunt, quorum Schnurrer (14) mentionem facit. Imprimis etiam divus patronus Bohemiae est. Solis miraculis suis, quae Bollandus l. c. in vita ejus, latinitate vix mediocri utens, copiosissime exponit, jam vivus plura hominum millia ad religionem Christianam amplectendam adduxisse dicitur. Fine vitae ejus narratur, cum anno MDCXIX Calvinistae in Sti Viti sepulcrum invadere conarentur, unum quasi fulmine ictum ululantem exsiluisse, alios spasmis esse correptos et tremore artuum et faucium constrictione laborasse.

Aegrotis in illa epidemia nulla medicamenta praebita sunt, neque ab illis petita. Fuit, ni fallor, hujus temporis, symptomata illa mirabilia supra delineata e causis naturam superantibus, dominio daemonis in homines et incantationibus potissimum deducere, ut ex historia ecclesiastica discimus, sacerdotes incestos homines post a morbo correptos baptizasse, qui tum subito insanorum more in viis et templis saltare inciperent, et daemonum nomina vocarent (15). Fortasse etiam credebant, miseros ejusmodi gravia commisisse scelera, quibus jam justas poenas Deo irato solverent. Res aliqua insolita, forte eodem tempore conspecta, ut cometes, vehemens tempestas, incendium, statim hanc opinionem firmabat, et justam Dei iram portendere videbatur. Interdum etiam a fraudatoribus, ut consilium pravum assequerentur, fortasse ut aliorum res familiares in se converterent, ecstasis ejusmodi artificiose exhibita est, quod exemplum a Schnurrero (16) allatum demonstrat. Poenae vero ejusmodi ante saeculum decimum quartum raro institutae sint, cum potestas ecclesiastica antea fere semper regum principumque viribus praevaleret, et papae sui quoque commodi causa ejusmodi ecstases clericorum artificiose productas ad auctoritatem apud vulgum confirmandam saltem permittere deberent, nam multum intererat paparum, qui jam vix resistere poterant regibus principibusque, in dies audacius ipsorum potentiam aggredientibus, ad quas partes, si res ad arma pervenisset, vulgus accederet. Saepius vero, ut historia docet, impostores ejusmodi poenas solvebant, postquam certamen illud jam eo usque diremtum erat, ut Philippus Pulcher anno MCCCV papam Clementem V ex suo arbitratu eligeret (17), ergo etiam minus superstitiosi Germanorum, ut MCCCLXXXI Norimbergenses, quod Schnurrer refert, facinora ejusmodi sine magno periculo coërcere, et magnum reformationis opus paulatim praeparare possent. Haec sufficiant ad ostendendum, historiam medicinae cum historia

universali arcto vinculo esse conjunctam, quod accuratius perscrutari hujus loci non est. *)

Num vera respectu pathologiae quoque epidemia illa vera fuit chorea? Nonnulli eam raphaniam (18) habuerunt, antiquiores veram choream. Equidem, ut ex discriminibus diagnosticis utriusque morbi, quae infra afferam, elucebit, credendum esse arbitror, praesertim cum phaenomena, ut Schnurrer ex libris monet, diverso modo narrentur, proprium vivendi morem, religiosam, saepe cum opinionibus pravis conjunctam ejus aetatis indolem, fortasse cometis, fulminibus, terrae motibus, tempestatibus, diluviis, insolita anni temporum temperatura, gentium migrationibus, rerum publicarum commutationibus simul cum viribus epidemicis ignotis, fortasse alterationibus terrae planetae (19) profunde sitis, productam, hanc propriam epidemiam, cujus similem in historia medicinae non invenimus, procreasse. Nemo opinor, si ad hujus epidemiae pathogeniam respicit, dubitabit, quin potissimum systema sensibile et irritabile correptum sit, neque tamen, mancis institutis observationibus, quidquam pro certo affirmare possumus, nisi hoc malum spasmodicis esse adnumerandum, quare hic tantum, quae in universum de spasmis exoriundis nota sunt, valebunt.

*) Hac degressione opus esse mihi videbatur, cum etiam ad Sti Viti sepulcrum auxilium contra haec mala quaereretur, illa ergo quoque sub nomine choreae describantur. Horst. confer. p. 10.



Caeterum morbos nervosos, si quis sanus ex illis laborantem attente adspiciat, facile in illum transire, ut in epidemia illa secundum Schnurrerum, saepe experientia probatum est. Boerhave (20) vidit pueros sanos in orphanotropheo Haarlemensi, qui epilepticos adspicerent, statim correptos, et Scherer (21) mulierem gravidam, puella epileptica conspecta, subito chorea arreptam. Medicus (22) dixit choream fuisse aliquando morbum saeculi; num forte hoc dicto illam contagio gaudere significare vult, an a medicis multos morbos aliquantulum choreae similes choream esse habitos? Praeter Medicum etiam nonnulli alii scriptores imprimis laudant Schenckii observationes medicas, quem librum, quod maxime doleo, mihi parare non potui. Primus docte et accurate de chorea egit (23) Thomas Sydenham (natus a. MDCXXIV, mortuus MDCLXXXIX), quem ex Anglis Cheyne, Mead, Fothergill, Whytt, alii, magis minusve secuti sunt, neque tamen praetereundum est, Wichmannio testante, quamlibet partialem convulsionem diuturnam, ut ambarum extremitatum superiorum vel inferiorum, continuam capitis nictationem, convulsionem musculorum parvorum faciei, ab Anglis choream appellari (24). Hanc singularem speciem Wichmann (25) anno MDCCLXIV in Anglia saepissime vidit, eamque choream Sti Viti minorem appellat, cui chorea Sti Viti major Germanica opposita est, de qua infra sermo erit. Germanici quoque medici (26) Sydenhami merita agnoverunt, ejusque sententias merita attentione dignati sunt Wichmann (27). Schaeffer (28) monet adhuc

sub finem saeculi praeteriti superstitiosos et vulgus in Bavaria choream similesque musculorum motus involuntarios morbum portentosum duxisse, a pacto diabolico deduxisse, eamque ob rem a sacerdotibus Seraphicis, sive Franciscanis sive Capucinis auxilium petiisse, illisque imperasse, ut clam per exsecrationem diabolum expellerent e pueris, illisque benedicerent.

## Morbi definitio.

Accuratam hujus morbi definitionem vix exhiberi posse arbitror, cum partim, si verbum definiendi strictiori sensu accipiamus, nullum morbum definire possimus, partim magnis implicitum sit difficultatibus res essentiales breviter comprehendere. Chorea, morbus convulsivo - spasticus, ad nervorum systematis morbos pertinet, qui laesa functione movendi apparent Reil (29), saepius puellas, quam pueros praesertim annis pubertatis evolvendae, interdum etiam adultos aggreditur P. Frank (30), maxime variis, non voluntariis, paene non dolorificis P. Frank (31) motibus omnium musculorum vel singulorum membrorum insignitur. Sentiendi et cogitandi facultas plerumque adest, sed etiam ex parte vel omnino deleta Richter (32), unus alterve sensus imprimis acutus est, vel etiam prorsus paralysi correptus Richter (33), status maxime ecstaticus, somnambulismo similis adest. Sed in hoc etiam morbo paroxysmi saepius interdiu quam noctu observantur (34).



## Morbi decursus.

Symptomatum varietas et magna diversitas brevem morbi decursus adumbrationem difficillimam reddunt. Itaque, qui experientia propria non gaudeam, contentus sim oportet, quae maximi momenti sunt, e scriptis optimis, quae conferendi mihi facultas erat, certo quodam ordine excerpere, quamquam Brueckmannio (35) prorsus assentior, dicenti: „quot observationes „de chorea Sti Viti legi, omnes quoad sympto-„mata quam maxime inter se differunt, ut fere „dixerim, tot esse paroxysmorum species, quot „personae his correptae, nullumque cum moti-„bus alterius aegroti exacte convenire.“ Bernt (36) choreae symptomata nuper accuratissime in ordinem redegit, quod I. Frank (37) quoque his verbis probat: „Bernt adeo graphice choreae „symptomata delineavit, ut verbulum descripti-„onis suae vel omittere vel mutare pro piaculo „habuissem.“ Attamen Bernt mihi non satis multas observationes respexisse videtur. Apte tria stadia distingui possunt: primum stadium prodromorum, tum stadium convulsivum sive morbi exculti, deinde stadium defatigationis et sudoris.

Primum stadium prodromorum raro prorsus deesse solet Limprechtius (38), jam brevius jam diutius perdurat; secundum Richterum (39) prodromi nunquam deficiunt. Delarive (40) vidit apud puerum, quem postea sedentem tantum convulsiones vexabant, prodromos fere novem hebdomadum. Diutissime in plerisque casibus prodromi perdurabant, si malum eodem tempo-

re exoriebatur, quo pubertas puerorum et virginum excolebatur. Secundum Sydenhamum (41) incipit morbus a nutatione, inquietudine, instabilitate, claudicatione et tractu alterius pedis. Nullo jure Wichmann (42) signis duobus posterioribus contradicit, nam et praeceptor meus experientissimus, de Deutsch, et Sauvages (43), Eckstein (44) Dreissig (45) claudicationem et tractum alterius pedis observaverunt. Simul incessus in universum incertus est Rosenstiel et Heckenrath (46), interdum extremitates inferiores decussantur, tota agendi ratio mutata est, facile manibus excidit, quod iis tenendum est, et si quid apprehendendum, saepe in locum falsum diriguntur. Aegroti laborant vertigine, pallore faciei, animo alienis rebus districto, oblivione, cita defatigatione, deficiente discendi cupiditate, attamen Wigand (47) contrarium contendit, defessione capitis, oculorum obfuscatione, pectore presso, nausea, cardialgia, pulsu suppresso Sprengel (48), non raro singulari pedum frigore Richter (49). Paulatim hoc stadium in secundum transit, quin aegroti corruunt interdum, nisi ducuntur Baldinger (50), aut quiete stare omnino nequeunt, verba prave edunt, jam singulos majores motus manuum, brachiorum et extremitatum inferiorum exhibent, quare imperiti adulti convicia in illos congerunt Schaeffer (51), attamen eo major instabilitas exoritur, oris angulos distorquent, aut unum latus vel humerum, lingua concrepant, sedentes huc illuc labuntur Schmalz (52) Thilenius (53).

Tum stadium secundum jam Proteo simillimum est, neque tamen ullum exemplum novi, in quo mirabiles et variae convulsiones cum



saltatione aliqua comparari possint, Brueckmann vero duos casus mirabiles affert, in quibus clavichordii sono spasmi clonici maxime irregulares omnino secundum musices rhythmum in motus maxime regulares transmutabantur, ita ut aegroti exacte secundum rhythmum huc illuc se moverent, tardius, si canticum ecclesiasticum canebatur, simul convulsiones brevius temporis spatium perdurabant, aegrotumque minus defatigabant (54). Si igitur nomine choreae convulsiones intelligimus, quae interdum secundum musices rhythmum fiunt, verbum illud rejiciendum non est, sed vix videbimus exhibitam saltationem aliquam nobis solitam, aut exacte repetitas saltationis partes. Richter (55): adest tantum gesticulatio quaedam, irregularis extremitatum et inferiorum et superiorum jactus cum singulari agilitate. Wood (56) vidit aegrotam exacte secundum tympani rhythmum saltantem, si vero semel tantum rhythmum negligeret, statim motus non voluntarii desierunt; quod saepius observatum est. Quisque paroxysmus ab extensione universali incipit Hopfengaertner (57). Convulsiones, modo ridiculae modo tristes visu, jam imprimis caput, faciem, collum et cervicem, extremitates superiores et inferiores, thoracem, musculos manducationis, vocis et pharyngis, jam omnes partes simul arripiunt, neque, etsi aegrotus quam maxime cupiat atque enitatur, aut retineri aut minui possunt. Delarive (58) dicit aegrotum suum de sella decidisse, si diutius sedisset, aliquoties revera decidit. Quodsi hujus stadii initio voluntatis vis non prorsus deleta est, motus fiunt mirabilissimi, ri-

diculi, ut si quid ad os admovendum est Eckstein (59) Sydenham (60) Thilenius (61). Secundum Sprengelum (62) semper membra lateris sinistri magis, quam dextri laborant, interdum etiam convulsiones solum latus dextrum vel sinistrum corripiunt P. Frank (63) Richter (64). De Haen (65) in decem exemplis semel tantum dextrum corporis dimidium laborans vidit. Brera (66) in nonnullis casibus solum dextrum latus arreptum conspexit, et Lau (67) narrat exemplum maxime mirum, in quo convulsionibus gravissimis totum latus sinistrum vexantibus, totius dextri musculi omnino subjecti erant aegroti voluntati.

Saepe in paroxysmis virgines negotia solita imitantur. Virgines acu opera facientes suere, quae fila deducunt, nere velle videntur, Hopfengaertner (68) artificem rerum ad cultum muliebrem pertinentium accurate et facile opus facientem, et quod ab alia inceptum erat, jure vituperantem vidit, alii rursus siliunt, huc illuc currunt, fornacem, parietes, scrinia ascendere student, in cistulas se abscondunt (69), aut lectum radunt, ut canis terram, motus denique maxime rationem et naturam repugnantes sine regula se excipiunt, semper vero chorea laborantes quam citissime consilia sua exsequi student, et in omnibus motibus insolitas musculorum vires, quae fere naturam et cogitationem excedant, ostendunt Hopfengaertner (70), Brandis (71), Thilenius (72). Ex Richteri observationibus (73) pedum convulsiones semper omnium maxime mirae et irregulares fuerunt, attamen multo rarius faciei distortiones abesse arbitror.



Niemann (74) simul cum illis oculos terribili modo circumvolutos vidit, Eckstein (75) animadvertit risum sardonium; supercilia, os, genae et nasus alae tam varie distorquentur, ut Lavater in aegroti ejusmodi vultus lineamentorum interpretatione immensam materiam invenire potuisset.

P. Franck (76) puerum Hebraicum curavit, qui ex quatuor annis modo caput et oculos distorsit, interdum etiam dextram manum circumjactavit. Sed etiam linguam et fauces spasmus plerumque occupat (77). Harum partium motus valde difficilis est, loquela balbutiens, vox plerumque simul rauca et fusca. Praeceptor meus experientissimus, de Deutsch, vidit linguam magna celeritate exsertam et retractam, et Lau etiam (78). Vox spasmodice mutata est, saepe maxime aliena. Animalium vocum: latratus, felium clamoris cet. imitationem praeter alios viderunt Hopfengaertner (79), Thilenius (80), Dreyssig (81), Brandis (82). Respiratio simul difficilis est.

Neque extremitates superiores quiescunt. Wichmann (83) vidit feminam pugnis factis interdum per quartam horae partem vehementissime pectus pulsantem. Ne mammas laederet, nonnulli chartae novae scapi transverse impositi sunt; brevi tempore omnes plagulae pulsando tam molles factae et fere comminutae erant, ut librorum tectori in usu mallei majore vi non fuisset opus. Similis casus mentionem facit Tulpius (84), quam malleationem nominat; cel. Professor de Deutsch quoque exemplum ejusmodi observavit. Sed etiam digiti convulsio-

num participes erant. Bonifox (85) v. c. vidit puellam, quae tres digitos manus sinistrae tantopere volam versus incurvabat, ut non sine doloribus reduci possent. Semper vero saltem initio omnium partium convulsiones graviores factas viderunt, simul atque aegrotum vi ab illis defendere conabantur Brandis (86). Sub crepantibus membrorum distortionibus Thilenius (87) etiam luxationes oriuntur (88), quae motu aegroti contrario, instinctu effecto, statim rursus evanescunt, aut vehemens dolor deletam sentiendi et cogitandi facultatem restituit, motibusque convulsivis finem imponit.

Ut tamen magnam hujus morbi symptomatum varietatem probem, liceat mihi hoc loco exemplum a Thilenio (89) observatum interponere. Ille conspexit in puella quatuordecim annorum nondum menstruata, phaenomena, quae se nunquam credidisse ipse fatetur, nisi ea vidisset. „Sie fiel schnell zu Boden, lief eine Weile mit groſser Fertigkeit auf allen Vieren, plötzlich aber wurde der Kopf stark gegen den Unterleib gezogen, sie schlang die Arme unter die Knie fest zusammen, die Beine zogen sich im Nu mit den Fersen gegen den Hintern und so rollte sie wie ein Igel zusammengeballt, bald zur Seite, bald gerade über den Kopf, bald rücklings unter dem Bette weg, unter Stühlen durch und dies mit solcher Behendigkeit, daſs Beobachter nicht begreifen konnte, durch welche Muskeln dieser mit aller Gewalt nicht zu lösende Knäuel in Bewegung gesetzt wurde. Ob sie gleich hin und wieder hart anstieſs und es auf dem Boden donnerte, als wenn



man die stärkste Kugel schiebt, so äuſserte sie doch nicht den geringsten Schmerz und entfaltete sich bald eben so schnell, als sie sich zusammengezogen hatte, warf sich nun auf den Rücken und trommelte mit den Füſsen gegen die Wand, bald auf den Fuſsboden mit solcher Heftigkeit, daſs man fürchtete es müsse Alles anschwellen und mit Blut unterlaufen. Nichts desto weniger! Im Augenblicke sprang sie wieder auf, schnitt gräsliche Gesichter, spie um sich — urplötzlich lachte sie aus vollem Halse, sprang ausgelassen und singend im Zimmer herum, schmeichelte den Umstehenden und theilte gleich darauf Ohrfeigen aus, spielte Clavier, sprach confuses Zeug, ahmte eine halbe Stunde lang die Bewegungen und Worte ihres Arztes Thilenius genau nach und rauchte endlich sogar Taback, weil er ebenfalls rauchte, darauf wurde ihr aber übel und dieser Reiz schien sie zu sich zu bringen. Sie eilte nach dem Bette, war sehr ermattet und sprach nach einer Zeit sehr anständig, doch etwas exaltirt mit den Umstehenden.

Paroxysmis gravioribus etiam proprium est, quod facile varios morientium status satis accurate simulant. Aegrota quaedam, quam Hopfengaertner curabat, circiter quadraginta et quatuor morientium status simulavit (90), Scherer quoque (91) et multi alii idem dicunt. Si morbus gravissimus est, aegroti in statu exaltato, somnambulismo simili versantur, visiones habent, homines notos non agnoscunt, aut alios esse opinantur (92) Hopfengaertner, sed in hoc statu versantes multa quoque animadvertunt,

quae alios prorsus fugiunt Hopfengaertner (93). Plerumque animi sui omnino compotes sunt etiam in gravioribus morbi gradibus, Wichmann (94) tamen aegrotam vidit, quae postea, quaecunque oculis clausis fecerat, omnium etsi paulatim tantum recordabatur. Negotia subtilissima clausis oculis apte perficiunt, filum per acum ducunt etc. Hopfengaertner (95). Brandis (96) memoriam simul praeter consuetudinem adauctam interdum claudicantem vidit, aegrota versum, quem canere vel recitare voluit, saepius ab initio incepit, nihil auxilii illi eo allatum est, quod alii clara voce versum recitabant, quin in aegrotae aures clamabant, sed illa saepius, ut in saliendo, denuo orsa est, donec memoria ipsa, non monitores, versum oblivione obrutum expediret. Interdum etiam magnas quaestiones arithmeticas solvere possunt, et facultate divinandi etsi satis ambigua utuntur, sed plerumque res divinatae ad ipsorum statum pertinent Hopfengaertner (97), sub mortis angore spectra vident, audiunt ac sentiunt Scherer (98). Brandis (99) vero aegrotam vidit, quae apertissime orationes habuit praesentibus et matri, feminae superstitiosae, plerumque concionem asceticam, in qua Deum, angelos et coelum coloribus terrenis depingebat. Hoc statu de tempore quoque laborantes cogitare amant Brandis (100), et interdum satis certo praedicunt, quando novus paroxysmus exoriturus sit (101) Hopfengärtner. Sentiendi percipiendique facultas et ejus defectus saepe citissime invicem se excipiunt, singuli quoque paroxysmi eorundem aegrotorum diversissimi sunt. Urinae emittendae difficultatis



et doloris in vesica tantummodo Dreissig (102) et Hopfengaertner (103) mentionem faciunt, attamen suo jure. Multi eorum, qui morbum observarunt, hoc momentum non satis respexisse videntur, ad quam rem ut animum adverterem, Cel. Prof. de Deutsch me monuit. Raro in paroxysmo excretiones alvi et urinae non voluntariae fiunt, quas Bernt (104) commemorat, neque tamen addit, num ipse, an alius observator hoc symptoma conspexerit. Morbosa quoque molimina menstruationis in virginibus digna sunt, quae accuratius respiciantur, quod infra clarius elucebit. Semper paroxysmi interdiu multo frequentiores, quam noctu fuerunt. Aegroti semper tranquille dormire solent, modo Schaeffer (105) vidit puellam quatuordecim annorum, quae in somno quoque non quieta erat, sed inscia semper se movebat. Paroxysmorum mora diversissima est, jam paucarum sexagesimarum horae partium, jam nonnullorum dierum. Starck (106) vidit paroxysmum quinque dies continuos perdurantem, quem singularem casum quod non accuratius descripserit, doleo. Vere et autumno saepius, quam hieme et aestate recurrunt. Medicus (107) exempla collegit, in quibus paroxysmi secundum regulam quandam redibant.

Denique stadium tertium quoad moram et gravitatem respondet secundo et laborantis incitabilitati et nervorum firmitati. Insignitur: visu vagante, oculis defatigatione prope exstinctis, capitis doloribus et vastitate, membris quasi contusis, anxietate, debilitate animi, quare aegroti praesentes anxie et cito interrogant, quid

tandem factum sit, sudore partiali vel universali Dreissig (108), qui plerumque mox desinit, tandem somno (109) Haase, quo finito, in casibus levioribus quodvis mali vestigium in longius breviusve temporis spatium sublatum est.

Mirabiles sunt ferri effectus in chorea a Wichmannio (110) anno 1769 primum observati. Gesticulationes et contorsiones omnium membrorum vehementissimae statim quasi ictu electrico desinebant, perfecta etiam quies oriebatur, quamquam in breve tantum tempus, si subito instrumentum ferreum manu arripiebatur, ejusque altero fine aliqua aegrotantis pars tangebatur vel tegebatur. Wichmann multas alias res, metalla, etiam mercurium, num eandem vim haberent, tentabat, sed frustra; ferrum solum quietem adducebat. Si aegrota alio tempore bene se habebat atque illo spasmi vel tensionis statu liberata erat, et tum ferro tangebatur, brachium, ubi ferrum applicatum erat, quasi magno frigore rigidum fiebat, qui sensus aegrotae molestissimus erat; digiti, quibus ferrum comprehenderat, tum spasmodice contracti erant. Mercurius quidem etiam illam e torpore quodam excitabat, alioque tempore suscitabat, sed effectus ejus ab eo ferri omnino diversus fuit. Quodnam hoc discrimen fuerit, Wichmann non exposuit, quod dolendum est. Scherer (111) invenit membra laxa ferro tacta rigide et spasmodice extendi, convulsionibus in caeteris remittentibus. Saepius, et quidem inscio aegroto, ne phantasia ageret, inter superiorum membrorum convulsiones argentum et ferrum, zincum et ferrum, laccam signatoriam et ferrum vicissim jam dextri jam sinistri pedis plantae imposuit. Semper eo effectum est, ut pes, quem ferrum tangeret, ad femur usque rigidus et extensus restaret. Si utriusque pedis plantae ferrum impositum erat, in utroque pede idem effectum est et quidem, quamdiu ferrum pedes tangebat. Dum hic spasmus perdurabat, dolor membrorum et capitis valde deminutus est. Intra quatuor hebdomades hoc quater decies adhibitum est, neque unquam hoc tempore paroxysmus, ut ante saepissime, excolebatur. Cum tamen aegrota ipsa paroxysmum desideraret, quoniam semper magnum lenimen eo adductum erat, ferri usus aliquamdiu praetermissus est. Secutae sunt convulsiones vehementissimae celerrimaeque. Ferrum nihil valebat, nisi si paroxysmus ejusmodi in tetanum abiret. Membra in situ semel constituto restabant, neque tamen hic facile, sed modo vi aliqua adhibita moveri poterant. In hoc statu quartam fere horae partem perdurante Scherer membra ferro tacta paene subito relaxari animadvertit. Heilbronn (112) puero ex chorea laborante diversissimo modo baculum ferreum duos pedes longum applicavit, neque ullum effectum vidit. Starck (113) ferro applicato idem effectum vidit, quod Wichmann, sed etiam aqua frigida adspersa, et manu frigida ad aegrotum admota. Vix dubium erit, quin magnetismus praecipue egerit, spasmumque sedarit, cum eximia ejus vis in morbis spasticis nostris temporibus ab omnibus agnita, atque innumeris certissimisque observationibus probata sit. Starck putat partim electricitate, partim frigoris viribus effecta esse, quae conspexerit.



Cel. Professor de Deutsch historiam aegroti a se mense Junio anni MDCCCVII observati benigne

mecum communicavit, quam hoc loco afferre constitui. Puer decem annorum a teneris inde maxime irritabilis et fanaticus fuit, et jam antea, cum adhuc quodammodo bona valetudine gauderet, cogitata Christiani morientis aliaque hujus generis conscripsit. Subito familiae nuntius affertur, fratrem ipsius maiorem natu pugna occidisse. Hic eo nuntio valde percussus noctu quam maxime inquiete dormit, clara voce delirat, deinde interdiu, praegressis capitis et faciei convulsionibus, fratrem defunctum ubique sibi apparere opinatur, in ejulatum maximum erumpere coepit, manibus pedibusque vehementer ferire et pulsare, ita ut nemo ipsum cohibere possit, vestes de corpore deripit, radendo fodendoque in lecto se condit, ardentissimo vexatur ciborum desiderio, imprimis solidorum, ut panis, hunc rabide discerpit, atque in os infercit, vix tamen deglutire potest. Liquores magno labore modo et multa contentione deglutiuntur. Hi paroxysmi saepe recurrebant, et semper magna lassitudine finiebantur. Mira est etiam ingens celeritas, qua prorsus inopinate fulminis instar paroxysmus apparebat et evanescebat. Brevi ante paroxysmum et statim post eum interdum etiam in momentum in ipso aeger animi sui compos erat. Iam se fratris necis accusabat, iam hac cogitatione omissa, alienam alebat, secundum quam se ipsum interfici opinabatur, ubique ignem conspicere sibi videbatur. Has cogitationes omnes ingens clamor et tumultuatio comitabantur. Nonnunquam paroxysmi furori similis finiti memor vehementer lacrymabatur querebaturque. Urinam multam emittebat, sed antea semper dolorem percipiebat. Urina initio stillatim effluebat, postea fluminis instar prorumpebat. Urina iam iam emittenda plerumque paroxysmus exoriebatur, aegrotus longe se extendebat, et clamor, convulsiones, deliria incipiebant, sed etiam phantasia agente, voluntate non statim expleta vel contradictione paroxysmi adducebantur. Noctu morbo non infestabatur, modo de somniis anxiis querebatur, ni fallor, quoniam inter dormiendum sensibilitas totius nervorum systematis et imprimis cerebri deminuta est Reil (114). Aliquamdiu paroxysmi certo quotidie sub horam sextam post meridiem accidebant, morae prorsus incertae, horae dimidiae, integrae, vel integrae cum dimidia. Interdum plures eodem die erat, postea etiam intra nonnullos dies ne unus quidem, sed semper dolor percipiebatur, antequam et si urina emittebatur. Dolorem esse dixit aegrotus pungentem torquentemque, imprimis in vesicae regione, sed etiam per totum corpus propagatum, quin in pedibus manibusque. Initio urina prorsus lucida et albida erat, postea, cum paroxysmi leviores et rariores essent, subrubra fiebat, atque in sedimento, quod jam formabat, arena minuta acris inesse videbatur. Postea visa mutata sunt, angelos videbat etc. omnino evanescebant, sed affectus animi melancholicus restabat. Ex hoc inde tempore spasmi clonici et convulsiones graviores factae esse videntur, tetanus, spasmi clonici et frequentia animi deliquia sequebantur. Haec rursus desinebant, et novus plane adspectus offerebatur. Simul ac paroxysmus venit, clamans se extendit, omnes vestes abjicit, quin etiam indusium, e lecto exsilit, vehementer, etsi extra paroxysmum ne stare quidem potest, usque ad parietem, vel aliquod aliud corpus durum offendens currit, hic,

quasi ascendere velit, se movet, sed mox collabitur, et jam, quod interdum statim in lecto fit, singulari vi et celeritate podice sedens in gyrum circumagitur. Pedes et manus simul spasmodice distorquentur, interdum deinde opisthotonus exoritur, in quo tantum caput et calcei pavimentum tangunt et tota columna vertebrarum curvatur, vel emprosthotonus, in quo extremitates superiores et inferiores inter se complicantur et contorquentur. Si res ita se habent, interdum sui memor est et exclamat: heu, quantopere trahor! imperat, ut caput suum teneatur, rursus dimittatur, denique se animi compotem esse ostendit. Iam alia scena sequitur. Manibus pedibusque repit, canis instar latrat, et mordet, subito prorsus recte extensus bis terve exsilit et deinde, nisi teneatur, plane rigidus supinus decidit, jam tetano corripitur, et urina sub clamore emittitur, quo facto, statim sui compos fit; interdum paroxysmus tum finitus est, et aegrotus tegi atque in lectum portari vult, sed linteis impositus in lectum ferendus est, nam quivis tactus, imprimis sub axillis, magnum illi ciet dolorem, et paroxysmum diuturniorem reddit augetque, vel efficit, ut recurrat. Si plures scenae ejusmodi deinceps sequuntur, plerumque alia hebete interrumpuntur, in qua puer in conclavi circumvagatur, omnes res et homines digitis monstrat et voce obtusa vultuque stupidissimo hm, hm, hae, hae, exclamat vel res ipsum offendentes, ut fornacem, januam ambabus manibus vehementer verberat. In paroxysmo ejusmodi hebete aliquando etiam suam urinam in pavimentum emissam delingere voluit. Extra paroxysmum questus est de magna lassitudine, doloribus capitis et pectoris. Ultimo tempore, ante urinae emissionem de erectionibus penis, sibi ignotis, ergo magnum metum incutientibus questus est. Ex hujus singularis exempli adumbratione facile intelligimus, temporum priorum obscurorum errori ignoscendum esse, ubi paroxysmi ejusmodi daemonum dominio effici putabantur.



## Morbi divisiones.

Quam difficile futurum sit, symptomatibus choreae variis, saepe sibi invicem repugnantibus, divisiones ex natura desumtas accommodare, iis perpensis, quae de decursu modo diximus, vix erit demonstrandum, praesertim, cum experientia edoceamur, quam inania plerumque fuerint conata.

Multae tamen divisiones adhibitae sunt, et maximum earum numerum nimirum XXXII nuper Bernt (115) et Sohler (116) proposuerunt. Lichtenstaedt (117) vero eas inutiles et Richter (118) consilio non aptas et confusionem efficientes appellat, mihique utrique adstipulandum est, cum Bernt secundum symptomata nimis singularia diviserit, quae ita solitaria in natura prorsus non sint posita, multa quoque ab eo huc relata sint, quae omnino non pertineant, ut chorea hydrophobica, epileptica.

Viam magis communem Thilenius (119) intrare conatus est, qui ex observationibus nonnullis accuratissimis choream in acutam et chronicam distribuit. Acuta forma eo insignis est, quod musculi simul omnes corripiuntur, et tria stadia

in ipsa accurate distingui possunt. Primum insignitur oblivione, manuum vibratione, pallore, deficiente alacritate et discendi cupiditate, secundum continuis oris angulorum convulsionibus, vultus distortionibus, capite jactato, inquietudine, atque imprimis eo, quod aegrotus, quaecunque manibus tenet, dejicit, et quodvis frustum sub vultus contortionibus quasi hiatu arripitur, simul voluntatis potestas evanescit. Tertium stadium tribus vel quatuor hebdomadibus post sub convulsionibus vehementissimis accedit, facultas loquendi omnino deleta est, aut verba solitaria vel dimidia audiuntur; febris nunquam observata et aegrotus post sex hebdomades plerumque sanatus est. Chronica forma incipit a symptomatibus initio vix respiciendis sed semper secundo stadio subsistit, aperte remissionibus et intermissionibus gaudet, et accuratissime recurrit, quod acuta nunquam facit. In pueris tres vel plures annos moratur. Haec divisio ab observatore accuratissimo exhibita certe aliquanti facienda est, quod vel ex modo exponendi et limitibus inter singula stadia definitis apparet. At etiamsi opinioni medicorum satis multorum morbis acutis semper adjunctam esse febrem parum tribuendum sit auctoritatis, profecto tamen eo certius constat, apertas remissiones et intermissiones et accurata recidiva in nullo morbo chronico ubique valere posse, quod Thilenius hic contendit, sed illa ipsa morbis acutis esse propria, illorumque constituere symptoma essentiale (120).

Iam supra secundum Wichmannium (121) choreae St Viti minoris mentionem fecimus. Huic secundum eundem scriptorem chorea major vel



Germanica opposita est, quae vitio universali cognoscitur. Haec divisio etiamsi accuratos fines non exhibet, tamen, ni fallor, quoad criticen aliquanti aestimanda est, cum ex illa discamus, quae nobis in Anglorum descriptionibus, si cum iis Germanorum comparentur, expectanda sint. Praxi tamen, quod Richter quoque monet, haec divisio nullius est momenti (122). Melius chorea dividi videtur in eam, ubi eodem tempore pubertas excolitur, et in eam, ubi hoc non fit.

## Diagnosis.

Temporibus prioribus inprimis barbaris mediae aetatis chorea cum nonnullis aliis morbis confundebatur, quos omnes enumerare superfluum est.

Nuper Bernt (123) et Sohler, quibus rebus diversa sit chorea ab insania, paralysi, hydrophobia et somnambulismo sine ulla utilitate denuo copiose exposuerunt, quis autem illos morbos cum chorea confundet?

Hi tantum morbi accuratius conferendi mihi videntur: Raphania choreae quidem aliquatenus similis est, attamen in universum fines hoc modo constitui possunt.

1) Raphania plerumque epidemice grassatur, chorea rarissime.
2) Raphania homines cujuslibet aetatis, sexus et constitutionis corripit, chorea potissimum puellas, in quibus pubertas excolitur, maxime inter annum nonum et quintum decimum.

3) Raphania plerumque aestate et autumno mox post secalis messem, imprimis si haec prava fuit, observatur. Chorea nulli anni tempori proprie adstricta est.

4) Exitus choreae plerumque plane faustus est, pauca tantum exempla, ubi mors sequebatur, nota sunt; sed nisi raphania statim initio supprimeretur, exoriebantur semper graviora capitis incommoda, Dreissig (124), insania, magnus stupor, graves sudores, amentia, epilepsia, petechiae, carbunculi, paralyses, extremitatum inferiorum gangraena, mors.

5) Sensus formicationis in raphania nunquam deest, in chorea semper. Hoc momentum ad morbum alterum ab altero distinguendum gravissimum est Wichmann (125), Dreissig (126).

6) Raphaniam plerumque aliquamdiu majores sphaerae reproductivae perturbationes antecedunt, choream imprimis symptomata nervosa.

7) Chorea plerumque aegrotum noctu non vexat, interdiu saepe plane periodica est Medicus (127), et majora intervalla admittit; raphania vero, saltem unum alterumve ejus symptoma, noctes diesque perdurat (128).

8) Causae denique omnino differunt. Choreae causas infra accuratius perlustrabimus.

Beriberia Indorum, Berri-Berri, le Beriberi secundum Sauvagesium (129), morbus a Tulpio etiam in Europa tractatus, compositus est e chronicis obstinatis spasmis et paralysibus Schmalz (130), et raro mortifer. Incipit



morbus ab oedemate, torpore membrorum, praecipue pedum et circa os sitorum, stipatus est sensu gelido, dolorifico, (aura?), cum gravi dyspnoea, angore, cordis palpitatione, vomitu, alvi et urinae retentione conjunctus.

Air, Sauvages (131), Schmalz (132) morbus in Brasilia endemius constat debilitate singulari, gravitate, obtusione membrorum cum sensu titillante et motibus maxime dolentibus sub vesperam.

Tarantismus Apulus, Tarantulismus, saltem prioribus temporibus morbus tantummodo intra fines montium Apulorum endemius fuit, accuratissime a Baglivo (133) secundum observationes a se ipso factas descriptus. Exoritur ictu tantum Araneae Tarantulae L. ad Aptera pertinentis, quae inter sulcos arvorum calidis mensibus aestivis serpit, ibique et in deviis saepe viatorum pedes laedit. Mox tumor parvus dolorificus, inflammatus, rubicundus exoritur, ad quem paulo post incommoda universalia, imprimis systematis nervosi accedunt. Aegroti magnam secundum musices rhythmum saliendi saltandique cupiditatem ostendebant, quare Baglivi temporibus etiam citharoedi ad hanc rem Tarenti et circa urbem constituti erant. Eo aegroti semper sanabantur, nec tamen, nisi justus modus aptusque rhythmus musices reperiretur, aegrotus saltabat, et tum morbus in pejus vertebatur. Cantus quidam lentus (134): „Carnevaletto delle Donne", imprimis feminis proderat ab iisque amabatur. Blumenbach (135) rem judicat fabulam absurdam, tantummodo in credulorum peregrinantium fraudem excogitatam, cum secundum alios, qui recentioribus temporibus in his regionibus itinera fecerint, affectiones

tantum minimae locales procreatae sint. Hoc fortasse de aliis Italiae regionibus maxime valet, neque compertum habeo, num hodieque Tarantismus, qualem Baglivus describat, tam frequens, quam antea, in Apulia occurrat. Neque tamen Baglivo fidem abjudicari posse arbitror, quia commentationem praeclaram, quam quicunque legerit, vanum somnium esse non posse, fateri debebit, de hoc argumento publici juris fecit. Nonne morbi per saecula indolem mutare possunt? Medicinae historia id vere fieri multis exemplis probat. —

## Cadaverum inspectiones.

De iis, qui ex chorea mortui sunt, quoniam morbus raro mortifer est, et pauca reperta, ut in aliis morbis nervosis, parum lucis praebent, modo pauca dici possunt. Conspectae sunt pseudomembranae ex antegressis inflammationibus ortae, cerebrum cingentes, ossificationes meningis tenuis et serum in pericardio I. Frank (136). Res multo majoris momenti Wigand et Renard nobiscum communicaverunt. Wigand (137) puellam quatuordecim annorum paroxysmis per novem dies frequentibus praegressis, sub innumeris pulsus ictibus, maxima cordis palpitatione, respiratione magis magisque suppressa, pulsuque magis magisque deminuto, celerrimo, morientem vidit. De cadaveris sectione haec refert. Uterus, caeterum ex norma formatus, sub digiti pressu lapidis instar durus erat et intus, ut ex incisionibus apparebat, ex cano albidus et per totam substantiam scirrhosus. Ligamenta uteri lata plicae Douglassii, facies vicinae vesicae urinariae et intestinorum partim inflammata, partim aperte jam gangraenosa fuerunt. De tubae Fallopianae dextrae fimbria corpusculum omnino pellucidum et colore et substantia papulae simile cordiforme dependebat. Ovariorum externa cutis dura, crassa et albidissima erat, prorsus ut sclerotica oculi. Caeterum in reliquis abdominis organis nihil morbosi reperiebatur, nisi quod in dextro lobulo hepatis locus subinflammatus erat, et vesica fellis bile viridinigricante turgebat. Vermium, muci verminosi vel aliorum stimulorum ne minimum quidem vestigium aderat. Morbi igitur mortisque causam in uteri conditione naturae repugnante scirrhosa sitam fuisse verisimillimum est. Puella annum quartum decimum agere coeperat, quo ex legibus naturae femininae aeternis mutationes et evolutiones in partibus genitalibus internis fieri oportebat. Uterus durus ac scirrhosus erat, itaque ad has mutationes omnino non aptus. Sanguinem igitur regulari aliorum organorum sanorum actione ad genitalia interna destinatum progredientemque in tubis Fallopianis, ovariis, alis vespertilionis et sic porro colligi, ibi stagnationes inflammationesque gignere, per has primo nervum spermaticum, deinde magnum sympathicum et hoc modo tandem totum systema nervosum vehementer irritare necesse erat. Morbum vero in utero ortum esse, imprimis eo verisimile fit, quod aegrota statim initio morbi de d o l o r e  f i x o  s u b  u m b i l i c o querebatur, qui pressu externo apud umbilicum profunde i n t r o r s u m  e t  d e o r s u m uterum versus adhibito semper augebatur, tum non auge-

batur, si pressus ab umbilico sursum versus ventriculum sive hepar instituebatur. Aegrota de hoc dolore etiam nonnullis mensibus ante morbum questa erat et quidem semper post regulare intervallum quatuor hebdomadum. Natura igitur non nunc demum, sed jam saepius antea, mutationes in utero maturae virginis necessarias efficere studuisse videtur. Dr. Renard (138) repertum magni momenti nobiscum communicat. Mulier juvenis ex somnambulismo et catalepsi lucida, sequela oophoritidis, laborabat. Praeclusio uteri, verisimilis torminum huc usque perceptorum causa, operatione feliciter sublata erat, sed novi spasmi et enteritis cito decurrens celerem mortem adduxerunt. In cadavere secto reperta sunt praeter ea, quae ex enteritide secuta erant, tria ulcera vetera in tela cellulosa indolis cutaneo-ligamentosae, quae inter os sacrum, intestinum rectum et uterum, qui illa arctissime conjunctus erat cum partibus vicinis, exorta erat. Ovarium dextrum perspicue ex satis longo tempore in suppurationem abierat, sinistrum hydropicum, pluribus punctis et foraminulis nigris instructum. — Non omnia quidem de his duobus casibus a me allata ad cadaverum sectiones pertinent, attamen descriptiones integras proponere malui, quo facilius lector benevolus rem perspiciat.

## De choreae Sti Viti indole.

Ex antiquissimis temporibus sententiae diversissimae de hujus morbi natura viguerunt, quarum praecipuas breviter afferam. Quam diu in



multis terris, maxime in Bavaria superstitio floruerit, choream a daemonibus excitari Richter (139) et modo a ministris verbi divini sanari posse, jam supra p. 16 diximus. Plater (140) et Tulpius (141) choream speciem maniae habuerunt. Sydenham (142) multique alii succorum acritudinem, cerebrum et nervos ad motus convulsivos excitantem, proximam causam esse contenderunt. Du Man (143) hanc acritudinem modo solam columnae vertebralis medullam infestare arbitratur. Bonifox (144) praeterea succorum inspissationem acritudinis causam habet. Mead (145) aliique Angli choream et paralysin unum eundemque morbum esse putant, quoniam in utroque malo aegroti membra sua sponte moveri nequeant. Sauvages (146) universalem nervorum debilitatem et defectum mentis culpat. Dreissig (147) proximam causam motuum membrorum spasticorum omniumque spasmorum in hoc morbo occurrentium ponit in aucta irritabilitate musculorum animi voluntati subjectorum, omniumque partium, quae in hoc morbo spasmis clonicis contrahuntur; statum ecstaticum exoriri putat ex irritatione, quam systema nervosum in systema musculare exerceat. Bernt (148) Tarantismum et choream morbos nervosos esse dicit, et cum musice utrumque morbum, ut omnia nervorum mentisque mala, certo depellat, inde temere concludit Tarantismum choreae speciem esse, porro (149) de proxima choreae causa dicit. „Simplicissima nobis videtur sentenˑ„tia principium vitale, omnium functionum et „motuum auctorem in corpore vivo, praeter vitae „et sanitatis leges affectum causam proximam cho„reae Sti Viti esse.“ At quis ex hac causa proxima

choream dignoscere posset, nisi Bernt (150) caput, ex quo hic locus desumtus est, inscripsisset: „Causa proxima choreae Sti Viti„? — Thalheim (151): „affectio spastica nihil aliud esse vi„detur, nisi processus galvanicus abalienatus, „qui mutatione formae et mixtionis chemicae or„ganorum vim illam producere et propagare va„let, quibus fit, ut aequilibrium processus gal„vanici animalis turbetur.“ Stiebel (152) qui duodecim choreae rhachiticae exempla curavit (hoc nomine appellat eam choreae speciem, in qua homo voluntatis compos est, sed musculos quiete tenere nequit, quoniam eorum nervorum origines modo mechanico vel potius plastico irritatae sunt) morbi, ex ejus opinione semper conjuncti cum columnae vertebralis evolutione, causam invenit intumescentiam et dolorificam sensibilitatem septimae colli vertebrae, et quoniam haec aliquanto a caeteris diversa sit, in ea fortasse morbi oriundi dispositionem positam esse opinatur. Quae ille invenit, sine dubio maximi momenti sunt, attamen nimis generaliter in locum modo dictum referri videntur, potius fortasse columnae vertebralis pars cervicalis et superior dorsalis in universum suspecta esse poterit. Totus salium calcis defectus in duorum aegrotorum urina ex minore terrae osseae sedimento oriri dicitur. Lichtenstaedt (153) sententiae Sohleri (154) de proxima choreae causa assentitur. Sohler credit proximam mali causam universali vel partiali, proprio columnae vertebralis vitio constare. Hoc vitium vero turbata ratione vegetationem et motum organicum, miro modo sibi oppositos, intercedente nititur. Quod columnae vertebralis vitium du-



plici ratione prava adduci potest. Longe saepissime chorea aegrotantium vegetatio imprimis afficitur, quo medullae spinalis, ejusque nervorum sensibilitas una cum musculorum spontaneorum incitabilitate per se, sive non pro rata parte auctae materiae organicae augetur. In utroque casu motum organicum, stimulo aliquo accedente, perturbari atque ita choream excitari necesse est. Propriam vero conditionem hujus modificati medullae spinalis vitii exponere non possumus, et vix quisquam poterit. Haec Sohler. I. Frank (155) „Nostram“ inquit „et hic fatemur ignorantiam, contenti nos sedem causae choreae efficientis jure meritoque quaerere posse, nunc in encephalo, nunc (et quidem maxime) in specu vertebrali, nunc (rarius certe) in plexibus nervorum abdominalibus.“ Richter (156). „Aus den Erscheinungen, den Ursachen und dem Verlaufe des Uebels ergiebt sich mit einiger Gewiſsheit, daſs es mehr in einer erhöhten oder eigenthümlichen alienirten Nerven-Empfindlichkeit der Gangliensphäre und allen plexus abdominales begründet ist, zuweilen aber auch der sympathische Nerve mit leidet, wodurch sich dann endlich der krampfhafte Zustand auch auf das Gehirn fortpflanzt.“ Quare Richter etiam choream hysteriae proximam ponit et Brueck (157) dicit choream potissimum ad evolutionis periodi hysteriam pertinere videri. Quanta sententiarum discrepantia! Profecto vero facilius est, has omnes repudiare, quam certi aliquid de proxima morbi causa proponere, cum theoria medicinae generalis vera neque condita adhuc est, neque exstrui jam poterit, de qua re Cel. Prof. de Erdmann, a Cons. Coll. Ross, nuper satis ex-

posuit (158). Perscrutatorem vero aequum fugere nequit, paucissimas pathogeniarum allatarum aliquatenus cum hominis physiologia consentire, itaque, etsi timidus, viam a nonnullis recentioribus, Hopfengaertnero (159), Henkio (160), Osiandero (161), Ioergio (162) et Caro (163) initam intrare et pro virium mearum modulo persequi audeo.

Choream imprimis in puellis inter annum nonum et sextum decimum observari videmus. Itaque non superfluum erit, aberrationes evolutionum, quibus hic morbus nitatur, investigare. Evolutio est seriei mutationum summa, quas organismus humanus a primo suo initio usque ad finem percurrit. Evolutio significatione strictiore, sive pubertatis evolutio, organismi infantilis transitus est in facultatem liberorum procreandorum, institutio ad genitalium functiones majoris momenti. Itaque has mutationes in feminae evolutione positas nunquam singulas per se, sed semper inter se conjunctas contemplari debemus Ioerg (164). Atque ut mutationes ejus physiologicae arcta conjunctione, ut causa, coëffectus, vel effectus, utuntur, ita etiam pathologicae, easque quoque, quam accuratissime respicientes ad mutationes praegressas, eodem tempore exstantes et sequentes, consideremus oportet.

Quaenam igitur mutationes morbosae fetus et aetatis infantilis morbosae pubertatis evolutionis semina, quae ad nostrum morbum proprie spectet, in se ferent? Breviter hic dicere possemus: totum symplegma morborum infantilium non prospere solutorum, sive congenitorum sive non congenitorum, fortasse etiam theorias de arcanis procreationis sacris addere. Neque tamen quidquam eo proficeremus, nostrum potius est, proprium aberrationum in fetu et aetate infantili, subjectum propriae virium vitalium conditioni, earumque mutuum lusum subtilem perscrutari. Attamen equidem cum Osiandero (165) certo constare puto, medicinam nostram esse scientiam empiricam, neque unquam aliud quidquam fieri posse, ergo a rebus historicis initium facio, ibique arbitrari maxime cogor, imprimis de infantium morbis statuque physiologico haec valere: Organismus eorum non in omnibus organis simul et aequaliter, sed modo paulatim vivit, semper mutatus, Henke (166), ostenditne enim aliqua aetas brevi tempore tam perspicuas singularum partium mutationes transformationesque, quam infantilis? Aeque aperte videmus quaedam organa et systemata certis tantum vitae periodis corroborari, ab aliis autem forsan speratum evolutionis gradum non praeberi Hopfengaertner (167). Quodsi normali modo suoque tempore fit, e. g. ut glandula thymus evanescat, hepar recedat, foramen ovale et ductus arteriosus Botalli claudatur, hominis sanitas non turbatur, sin minus, morbus exoritur. Eodem modo quoque tota sphaera reproductiva, cujus focus cavum abdominale est, provecta aetate recedit, quoniam irritabilitas et sensibilitas magis corroborantur, in femina contra procedit, cum illarum virium existentia et evolutio aucta vi reproductiva demum gignatur. In hac virium vitalium concertatione, processibus electricis non absimili, ut ad aequalitatem inter se perveniant, facile una vel altera, vel duae harum virium tertiam superant, si causae hanc illamve vim corro-

borandam adjuvantes, simul ex antagonismi lege necessario efficiunt, ut aliae relinquantur; atque in hoc certamine inaequali, quod vis medicatrix naturae nonnisi phaenomenis morbosis, quae hic crises sunt, solvere potest, ni fallor, omnium morborum mulierum annis transitus ad pubertatem exorientium causa inest. Virium vitalium aberrationum diversitas quoad gradum efficit magnam phaenomenorum varietatem; quod exemplo illustrabo. Vere a MDCCCXXVII in nosocomio nostro vidi strumam lymphaticam magnitudine capitis infantilis in virgine rustica viginti annorum, robustissima, musculosa, nunquam menstruata. Ex consilio cel. Prof. de Deutsch a cons. status Ross., praeceptoris mei maxime reverendi, illi quotidie data sunt duo grana pulv. hb. sabinae. Struma multo deminuta est, cum menses exorirentur. Strumam formatam esse arbitror hoc modo:

Quamdiu corpus citius crescit, pituitosa secretio in partes superiores, salivae, pituitae narium, laryngis, omniumque glandularum actio major est. Pars lymphatica facilius a sanguinis cruore secernitur, probabiliter propter celeriorem circulationem. Haec lymphatica sanguinis pars in universum ad novas partes formandas aptissima videtur. Itaque si causae agunt, quae lymphaticae sanguinis partis praeponderantiam prae cruore adjuvant, facile struma ejusmodi formari potest. Solanorum tuberosorum abusus, cibi e farina comparati etc. apud pauperes saepe hanc causam constituere videntur.

Si quae modo dicta sunt, ad choream adhibere studemus, primum musculos voluntati jam non subjectos videmus, systema nervosum vero



irritabilitatis modum excedentis, saepius cum asthenia, quam cum statu sthenico conjunctae (168) Mullier, simul medulla spinalis, omnesque nervi, qui cum illa cohaerent, praecipue correpti sunt, saepe nonnullae abdominis partes, hepar, lien, tractus intestinorum, in singularem consensum raptae sunt, ex quibus omnibus abnormitatibus tandem in casibus infaustis sequitur, ut aliae partes prae utero et tuba Fallopiana corroborentur, ut ex iis, quae repererunt Wigand, Renard et partim quae Stiebel, aperte patet. Objici posset, Wigandii et Renardii observationes nimis singulas esse, sed etiam Carus (169) et Clarus (170) symptomata oophoritidis et metritidis diagnostica ita proponunt, ut in metritide multo vehementius systema vasorum, in oophoritide vero magis systema nervosum simul afficiatur; et nonne etiam plurima choreae symptomata indolis nervosae sunt? Parva mammarum evolutio, quae eodem tempore fit, vox mendose mutata, corpus inter annum tertium decimum et sextum decimum minime plenum rotundumque eum, qui in observando attentione utitur, jam ducent. Status quoque ecstaticus, somnambulismo similis praevalens nervorum vitium indicat, cujus sedem eo facilius in medulla spinali quaerere possumus, cum, si morbus levior sit, sentiendi cogitandique facultas saepe non deficiat, cerebrum igitur modo secundario tantum laborare videatur.

## Causae.

Causae remotae distribuendae sunt in praedisponentes et eas, quae proprie occassionales appellantur.

## I. Causae praedisponentes.

Huc pertinet singularis dispositio interdum e parentibus in liberos nimia ipsorum constitutionum vel annorum discrepantia translata Thilenius (171) Desperrieres (172), vel parentes hysteria aut hypochondria laborabant Dreissig (173). Haec dispositio plerumque ab anno decimo inde Dreissig (174) cum omnibus sensibilitatis auctae symptomatibus, ut gracili corporis structura, systemate musculorum minus evoluto, cito incremento, interdum magna discendi cupiditate secundum Wigandium, itaque multo saepius in puellis, quam in pueris, magis perspicue apparet.

Aer et cubiculum humidum impurumque, abusus ciborum salsorum infumatorum, imprimis piscium salsorum locis juxta mare sitis Dreissig (175), abusus spirituosorum vel relaxantium potissimum culpanda sunt. Causam, cur secundum I. Frank (176) gens Hebraica singularem dispositionem ad choream habeat, maxime in sordibus victuque pravo inesse arbitror.

## II. Causae occasionales.

1) Ex causis psychicis imprimis terror, stomachus Scherer (177), Stoll (178), amor infaustus Bernt (179). Duce cel. Dr. Sahmen Professore, semestri praeterito chorea feliciter in nosocomio nostro curata est, in qua convulsiones statim graviores fiebant,



simul atque aegrotus se accurate observari credebat; quod fortasse, cum cogitationes aegroti, ut fere fit, ad suam ipsius personam tantum respicerent, atque ille omnino animi compos esset, eo nitebatur, quod tum statum suum periculosiorem, quam antea, haberet.

2) Sordes gastricae omnis generis, vermes, lumbrici, imprimis ascarides; Thilenius (180) e XXI exemplis XIV cum vermibus conjuncta vidit; Wendt (181) choream per lumbricos, Stoll (182) statu tractus intestinorum pituitoso procreatam animadvertit. Mullier (183) eodem tempore cum chorea incommoda hepatis et saburrarum collectionem in intestinis pravo victu et vita sedentaria effectam observavit.

3) Suppressa exanthemata chronica et acuta, maxime miliaria du Man (184); scabiem suppressam P. Frank (185) in puero, qui ex quatuor annis modo caput et oculos distorquebat, interdum etiam dextram manum huc illuc agitabat, unicam habuit causam; Wendt (186) in aegroto exanthema post aures, cito desiccatum.

4) Incaute sanata ulcera vetera, fonticuli et setacea. Vir sexaginta tres annos natus in latere sinistro choream accepit, cum in brachio ejus sinistro cauterium, quod contra asthma pituitosum applicatum erat, esset sanatum. Richter (187).

5) Nimiae seminis evacuationes in juvenibus aeque saepe causam constituunt, quam onania in virginibus fabulis romanen-

sibus legentibus appetitu concubitus mature excitato neque satis expleto orta. Secundum Richterum (188) et I. Frankium (189) chorea aliquoties sine ullis remediis, nisi concubitu et nuptiis, sublata est. Multo rarius, ni fallor, morbus appetitu concubitus nimis suppresso, ita ut tandem sperma virile ob magnam abundantiam emitti nequeat, provocatur. Attamen exemplum ejusmodi narrat P. Frank (190).

6) Menses nondum perfecte exculti, causa frequens, sed raro unica, plerumque cum aliqua alia conjuncta Desperrieres (191), Wigand (192), Thilenius (193).
7) Stimulus dentium Mullier (194).
8) Vapores mercurii, plumbi, aliorumque metallorum Bernt (195), Brandis (196).
9) Contagium. Utrum hoc vi psychica, an tantum nervorum effectu intra certam distantiam efficiatur, non constat. Verisimile est utrumque simul locum habere. Scherer (197).
10) Affectiones rheumaticae et arthriticae. P. Frank (198), aliique interdum has causas videbant, in universum tamen raro accuratius observatae esse videntur. Stoll (199).

Num capitis laesiones momentum satis excitans constituere possint, in dubio relinquo, Th. Hall (200) tamen nullam aliam choreae causam in muliere quadam reperire potuit, nisi quod conjux ictu instrumenti ferrei, igni suscitando inservientis, illi partem cranii posteriorem impresserat.



## Prognosis.

Mortem raro adducit chorea, rarissime in paroxysmo Wigand (201), saepius in casibus infaustis febris hectica, apoplexia nervosa cum quarundam partium degeneratione et inflammatione vitae finem imponit. Ex consuetudine exitus prorsus faustus est, simul ac menses regulariter fluunt. Temporibus antiquis falso credebant mulieres chorea steriles fieri Dreissig (202). In specie haec etiam momenta respicienda sunt:

1) Num causae removeri possint. Chorea lumbricis, causisque gastricis producta semper post nonnullas hebdomades, curatione apta adhibita, felici exitu gavisa est Thilenius (203). Lumbrici, quod experientia docet, luna decrescente facilius, quam crescente pelli possunt K. Sprengel (204). Pertinaciores casus sunt, qui causis rheumaticis et arthriticis gignuntur. Choream scabie exortam P. Frank (205) quatuor menses perdurantem vidit, et tum post refrigerium denuo quatuor menses.
2) Constitutio magis minusve incitabilis.
3) Ipsius morbi mora. Quo diutius morbus perdurat, eo vehementior fit. Scherer (206), choream viginti quatuor annos perseverantem conspexit.
4) Sexus secundum Thilenium (207). In pueris omnes convulsiones motionesque om-

nino minus vividae sunt, minus cito transeunt, quam in puellis, sanatioque in illis multo difficilior diuturniorque est, quam in his. Quod Thilenius in puellis paucis hebdomadibus effecit, in eo in pueris menses consumsit. Puer Hebraeus sex continuis annis quoque vere paroxysmis corripiebatur; puer alius rusticus duodecim annorum, quamquam remedia continuo adhibebantur, post duos annos cum dimidio demum sanari potuit. Alii scriptores hujus diversae morbi morae pro sexu diverso mentionem non faciunt.

5) Complicationes cum aliis morbis. Bonifox (208) famem caninam cum chorea conjunctam feliciter solvi vidit. Scrophulae, epilepsia, status cachectici universales prognosin multo deteriorem reddunt. Exanthemata suppressa et ulcera cito sanata, quibus chorea excitata est, tum tantum bonam admittunt prognosin, si feliciter restituantur. Dubia tantum denique prognosis in chorea venenis metallicis orta esse potest.

## Cura.

## I. Cura palliativa.

Cum paroxysmus adest, molles stragulae pulvinariaque circa aegrotum et sub eo sternenda sunt, maxima quies paranda, lux fulgens prohibenda, plantae multum odorem spargentes etc. e conclavi, ubi aegrotus versatur, emovendae, denique sensus omnino ne irritentur. Propinqui et qui praeter eos adsint, admoneantur, ut misericordiam, quam possint maxime, celent, omnesque observatores curiosi emoveantnr. Iam paroxysmi initio balnea calida plurimum prosunt, neque tamen prorsus sine conditionibus camphora iis admiscenda est, ut Desperrieres (209), temere commendat. Frictiones ope pannorum laneorum in majoribus cutis locis secundum majorum ramorum nervorum cursum cum usu remediorum volatilium, antispasmodicorum, ut unguenti nervini, linimenti volatilis, utiles sunt. Membra vincire et tenere nocet, attamen Brandis (210) felicem vidit eventum in exemplo, ubi aegrota tenebatur. Ille cum puella duodeviginti annorum, ex chorea laborante, per tres horas luctabatur, ita ut postero mane vi, quam in tenendo adhibuerat, utrumque aegrotae brachium sugillatum esset. Simul ac spasmus incepit, voce clara firmaque illam quietem agere jussit. Diebus octo post jam vi non erat opus, sed sufficiebat, si illius manui manum suam imponebat, et interdum voce firma eam admonebat. Alterum femur, quod potissimum convulsionibus laborabat, fasciis contineri adeoque arcte ad abdomen alligari jussit, ut, quod ipse fatetur, periculum esset, ne vita in eo graviter perturbaretur. Vexationes ejusmodi perspicuas omnino rejiciendas atque a medici dignitate alienas esse arbitror. Quam facile in hoc exemplo luxationes, fracturae, incommoda apoplexiae similia vel paralyses oriri potuissent! Reil (211). Ferri usus secundum Wichmannum non est negligendus.

## II. Cura radicalis.

In ea has quinque indicationes propono:

I. Irritabilitas ſere semper aucta deminuatur.

II. Virium vitalium status accuratius investigetur.

III. Causae occasionales et complicationes tollantur.

IV. Remedia, quae dicuntur specifica, adhibeantur, neque tamen unquam sine indicationibus singularibus, quas infra accuratius exponam, praebeantur.

V. Apotherapia instituatur.

## I. Irritabilitatis deminutio.

1) Diaeta et regimen. Vestitus aptus, fovens, aer purus, temperatura, quam maxime fieri potest, aequalis, corporis animique exercitatio iucunda, apta ratio inter somnum et vigilias, diaeta blanda et modicus cerevisiae lupulo satis conditae usus curam magnopere adiuvant. Semper maxima corporis animique quies sustineatur, neve ut aegroti ad fatigationem usque vires intendant, permittatur.

2) Remedia. Balnea (212) hic primum locum obtinent, eorumque utilitas omnibus constat, nam cum stimulum aequalem per totam corporis superficiem, ergo per universalem telam nervosam, quae cum omnibus caeteris coniuncta est, exhibeant, iure exspectare possumus, fore ut aequaliter agant, vel irritabilitatis sensibilitatisque aequalitatem restituant. Et cum praeterea cutis functio illis augeatur, stimuli in tractum intestinorum agentes removentur. Balnea, quae Visbadae, Driburgi, Pyrmontii et Doberani exstant, in hoc morbo singularem sibi famam conciliaverunt. Etiam balnea artificiosa aromatica, salsa et sulphurata, postea balnea ferrata calida per globulos martiales saepe cum utilitate adhibita sunt. Ubi suppressa functio cutanea choream procreaverit, fortasse secundum Desperrieres (213) camphora in balneis usurpari poterit. Balnea frigida et demersionem in aquam frigidam imprimis Donald Monro (214) commendat, remediaque prorsus antispasmodica habet, calida tamen balnea in universum utiliora sunt. Enemata iam laxantia, iam antispasmodica vel anthelmintica secundum conditiones singulas eligenda sunt.



Magnetismus animalis, ni fallor, dignus est, qui magis generaliter, quam huc usque, adhibeatur. Breviter tantum laudes commemoro quas Haase (215) et Kluge (216) illi in chorea tribuerunt. De adhibenda vi electrica maxime du Man (217) et de Haen (218) observationes instituerunt, cautionesque, quibus in eius usu opus est, proposuerunt. De galvanismo, ex effectu suo inter vim electricam et magnetismum animalem medio Kluge (219), nullas reperi observationes literis mandatas, nisi quod Hagen-

bach et Huber (220) exemplum mirabilissimum viderunt, in quo semper, galvanismo per aures adhibito, somnus levis somnambulismo magnetico similis exoriebatur. De utili musices aptae effectu in morbis nervosis nuper Becker (221), quae maxime memoratu digna sunt, collegit.

## II. Virium vitalium status investigatio.

Tres distinguendi sunt status.

1) Synocha sive irritabilitas aucta coniuncta cum maiore agendi facultate. Iam Reil (222) coniecit, hunc statum cum neurilematis inflammatione conjunctum esse. Spasmus gravis est, dolor vehemens, pulsus plenus et durus cum plethorae symptomatibus congestionibusque in diversas partes, saepe in caput. Suppressi menses vel haemorrhoides non raro huius status causam efficiunt. Saepe tum sanguifluxus vicarius faustus est, et iam Hippocrates (223) dixit: *Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλειπόντων αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι ἀγαθόν.* Ars medica hirudinibus ad internum femorum latus applicatis, insessibus etc. usu interno boracis, salis Ammoniaci cet. profluvium sanguinis suppressum restituere studet, ex rebus clysmata derivantia, remedia laxantia frigida, largum lactis seri usum praescribit. Sydenham maxime commendat venaesectiones et medicamenta laxantia. Ex acidis mineralibus acidum phosphoricum, quippe quod omnium minime organismum infestare videatur, respiciendum est. Acida vegetabilia tamen plerumque praeferenda erunt. Generaliter vero synocha mera raro est.



2) Typhus. Multo saepius chorea, ut vel ex dispositione supra descripta elucet, cum charactere erethismi vel typhi apparet. Tum irritabilitas morbose adaucta est, sed energia deminuta, et nervorum actiones vehementes, sed sine vi et saepe alienatae sunt. Aegroti facile defatigantur, macri, pallidi, debiles sunt, pulsus parvus et spasticus; simul maxime irritabiles sunt. Haec forma praecipue in hominibus superiorum ordinum conspicitur, et educatione molli, libris amatoriis legendis et cupiditate concubitus nimis mature et praeter naturam excitata procreatur. In hac forma specifica, quae infra recensebimus, secundum indicationes singulares imprimis adhibenda sunt.

3) Nimis generaliter, opinor, credunt nonnulli, ubi systema reproductivum imprimis correptum, ubi fibra laxa, dispositio scrophulosa, deminutus calor vitalis, pulsus tardus, iners, lingua muco obducta, appetitus ciborum deminutus vel frequens, fames canina cum deiectionibus alvi tardis et temperamento fortasse phlegmatico coniuncta sint — semper statum asthenicum adesse. Saepe igitur remedia purgantia, anthelmintica et stagnationes abdominis imprimis hepatis tollentia adhibere sine causa dubitant, quo maxime peccatur, cum vermes, sordes viarum primarum, collectiones pituitosae et infarctus hanc debilitatem effe-

cerint et sustentent. Mullier (224) compositione 3 gr. Calomelanos et 10 gr. pulv. rad. ialappae, cui iam oleum Ricini, iam pilulas aloeticas, iam infusum fol. sennae addebat, qua non semper largae alvi efficiebantur, tamen semper pro deiectionibus choream deminutam vidit. Omnium aegrotorum alvus nigra foetidissimaque erat. Magni momenti emetica quoque in dosi vel integra vel refracta sunt. Madier (225) puellam XVII annorum, nondum menstruatam, quae ex anno chorea laboraverat, emeticis nonnullis tribus hebdomadibus eo usque sanavit, ut firmius incedere posset.

Attamen emeticorum laxantiumque usus limitibus circumscriptus est. Si materiae adhuc immobiles sunt, parvis dosibus caute incipiendum est, sin mobiles et turgescentiae symptomata sursum vel deorsum apparent, fortius agere licet. Starck (226) igitur iure vituperatur, quod sine conditionibus methodum evacuantem certissimam iudicat.

## III. Causarum occasionalium complicationumque remotio.

Iam Stoll (227) suadet, ut collectae sordes gastricae vermesque sine mora removeantur. Rectissime monet, remedia, quae in chorea dicuntur specifica, extr. bellad., flor. zinci etc. ibi vim nocentem exercere. Tantummodo, si spasmi vehementissimi sunt, maxime aegrotum vexant, tu-



multum universalem infusis herbarum aromaticarum, antispasmodicis fomentationibus, clysmatibus et frictionibus abdominis ante omnia lenire convenit. Quo facto convulsiones mox remittere solent, et tum anthelmintica purgantiaque leniora praebenda sunt. Si chorea exanthematibus suppressis, vel veteribus ulceribus fonticulisque incaute sanatis provocata est, haec quam primum restituenda sunt. Masturbatores severe custodiantur. In chorea mensibus suppressis et inde exorta plethora producta medendi methodus descriptus adhibendus est, si quidem synochae status adest. Sin vero potius erethismi character praevalet, imprimis hyoscyamus, crocus, ruta, chamomilla magno usui sunt. Sin vero mensium suppressio potius torpore et atonia nititur, omnino universus assimilationis reproductionisque status explorandus est, et tum tantum pellentia lenia danda, cum succorum abundantia ad menses necessaria in corpore paratur. In chorea dentitione procreata Monro (228), postquam supra dentem erupturum incisio cruciformis facta est, incommoda evanescere vidit, quod forte fortuna acciderit, ut Brandis (229) et experimenta postea instituta probaverunt. Dr. Gregory (230) prospero eventu ex ore pueri chorea laborantis, cum dentes novi iuxta veteres iam perrumpere conarentur, maiorem dentium veterum partem removit, quo perspicue apparet, in chorea incommoda etiam stimulo modo locali gigni posse. Mullier (231). Contra choream metallicis effectam imprimis remedia sulphurica, Kali sulphuratum, balnea sulphurata, aqua sulphuris nativa utilia sunt. De-

nique pueri ac puellae saltem paroxysmi tempore, ne inficiantur, a laborantibus separandi sunt.

## IV. Remediorum specificorum usus.

Praecipua remedia specifica sunt:

Flores Zinci. In chorea maxime illi sunt commendandi, cum bonus ipsorum effectus in abnormi affectione nervorum pneumogastricorum, eorumque, qui cum medulla spinali ipsa coniuncti sunt, certo constet, praecipue si cum illa iuncti sunt, simul aucta irritabilitas et actio systematis musculorum et vasorum coniuncta sit. Schwartze (232). Doses saepe augendae sunt, donec bonus effectus appareat Hufeland (233). Schaeffer (234) in nonnullis exemplis non bonum vidit effectum, item Max. Stoll (235). Praebentur flores zinci in pulvere cum sacchare, a dimidio grano usque ad duo grana quater saepiusque quotidie Hufeland (236). Secundum Berntium (237) primae doses plerumque vomitum producunt, deinde sequentes constrictionem laryngis et tum caeterae doses bene sumuntur. Richter (238) contendit dosibus magnis opus esse non videri, quia si agant, cito agant, plurimum vero ex eius testimonio efficere dicuntur, si morbus cum excolenda pubertate coniunctus est. Stark (239) tincturam zinci eiusque singulis vicibus XV — XX gutt. commendat.

Vitriolum Zinci. Ut flores zinci, hoc imprimis in systema nervorum agit, sed fortius, vehementius, tumultuosius, et acido sulphurico secum coniuncto vim maiorem, vehementem, in systema vasorum et musculorum exercet. In chorea, aliisque affectionibus nervorum chronicis ibi porrigitur, ubi leniora zinci praeparata non suffecerunt. Hufeland (240). Dosis, quae tarde tantum augetur, est $\frac{1}{16}$ — $\frac{1}{8}$ gr.



Cuprum sulphuricum. Acidum sulphuricum praevalens etiam hic praecipue systema irritabile afficit, sed secundum Schwartzium (241) luxuriosam quoque systematis reproductivi actionem finibus coërcet. Praebetur $\frac{1}{8}$ — 1 gr. in pulvere, pilulis vel solutione. Maioris momenti est

Cuprum sulphurico-ammoniatum. Coniunctione cum ammonio libero praecipue sphaera sensibilitatis affici videtur. Secundum Haasium (242) potissimum hominibus constitutionis non irritabilis, pituitosae prodesse videtur. Niemann (243) quoque monet, ne in complicationibus inflammatoriis adhibeatur. Solutionem salis ammoniaci cuprici omnibus formis caeteris anteponit, neque quidquam aliud addendum esse arbitratur. In duobus exemplis prospero eventu ter quotidie V gutt. solutionis $\frac{1}{2}$ drach. in uncia aquae destillatae propinavit. Post binos dies guttam addebat. Amplius X gutt. pro dosi aegrota non pertulit. Gravi nausea correpta est, neque dosin augere oportuit. Die quarto motiones convulsivae deminuebantur. Post duas hebdomades aegrota decem annorum prorsus sanata erat, altera septemdecim annos nata post hebdomadem. Odier (244) putat cuprum sulphurico-ammoniatum additis floribus zinci efficacius fieri, quod ex aliorum sententia non fit. Praebetur etiam in pulvere vel pilulis $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{2}$ — 2 gr. donec nausea vel levius profluvium alvi exoriatur.

Liquor arsenicalis. Remedium raro

adhuc tentatum, ambiguum, attamen Salter (245) se illo quatuor aegrotos feliciter curasse contendit. Initio ter quotidie 4 gutt. porrigi iussit, et quotidie singulas doses una gutta auxit, ita ut tandem ter XIV gutt. praeberentur. Salter tamen perspicue nimium contendit, dicens se rationem invenisse, qua vitium illud saepe pertinax melius, quam caeteris remediis omnibus, semper sanari possit.

Cardamine pratensis. Praecipue functionem cutaneam adiuvat et vi anthelmintica frui videtur. Michaelis (246) intra sex hebdomades choream vehementem, quae fere nunquam prorsus intermittebat, solo usu fl. cardamines sanavit, quorum sexta quaque hora drachmam dedit. Cum iam prima dosi data nullus accideret paroxysmus, hoc remedium saepius, quam adhuc factum est, tentandum est.

Pulvis Seminis Sinapeos nigrae. Rebentisch (247) choream in puella undecim annorum terrore exortam hoc remedio brevi tempore sanavit.

Viscum quercinum. Schwartze (248) illud remediis ambiguis adnumerat, pulvis tamen 10—15—30 gr. in spasmis clonicis migrantibus cum debilitate coniunctis magnam sibi comparavit famam. Jahn (249).

Valeriana officinalis. Continuo et in dosi crescente feliciter adhibetur. P. Frank (250) suadet, ut hominibus maxime sensibilibus initio drachma infusi aquosi porrigatur, postea pulveres ℈i—ʒi adhibeantur. Bouteille (215) quoque illa usurpata convulsiones semper deminutas vidit.



Bene in exemplis singularibus valeriana cum uno alterove remediorum allatorum miscetur.

Chenopodium ambrosioides L. Botrys Mexicana off. Secundum Richteri (252) testimonium Plenk quinque aegrotos, qui iam menses, quin annos laboraverant, neque fortissimis aliis remediis sanari potuerant, eius usu sanavit. Praebetur in pulv. ℈i bis terve quotidie, in infuso 2ʒ ad 10℥ colaturae altera quavis hora bina cochlearia maiora, et per plures menses usurpari licet. Est leviter aromaticum, effectus similis Valerianae et foliis Aurantii et apte cum cortice Peruviano coniugitur.

Oleum animale Dippelii. Hoc remedium incitans succorum circulationem, calorem naturalem, et secretiones excretionesque imprimis cutis et renum auget. Guttas 30 porrigendas esse censet Bernt (253).

Castoreum. Bonifox (254) multique alii antispasmodicum commendant. Madier (255) clysmata e 3 gr. opii et 9 gr. castorei, in spiritu vini solutis et cum ℥iv aquae tepidae commixtis comparata feliciter adhibuit. Idem castoreo opium optime corrigi arbitratur, cum hoc continuo usurpatum saepe incommoda perniciosa efficiat. Compositione vero modo allata omnes effectus nocentes evitabantur, ac spasmi dolorifici fere ipso momento, quo aegrotus medicinam sumsit, leniebantur. Richter (256) ad enemata 10—20 gr. in spiritu vini solvi iussit.

Moschus. P. Frank (257) in chorea e causis asthenicis exorta gr. i eius cum 10 gr. sacchari

albi secunda quaque hora prospero eventu praebuit. Thouvenel (258). Donald Monro (259).

Extractum Belladonnae. Ex narcoticis belladonna maxime adhibita est. Stoll (260) experientia nixus commendat unum granum extr. bellad. quotidie et modo $\frac{1}{6}$ gr. pro dosi. Paulatim augendo tandem duo grana quotidie porrexit aegroto, qui intra duas hebdomades omnino sanatus est. Cel. Prof. de Deutsch, a Cons. Status Ross., quoque eius usum probátum invenit, ac maiores sed rariores doses praebuit: extract. bellad. gr. ii cum ʒ cort. cascarillae ℈ß vespere ʒ sumatur. Thilenius (261) in forma choreae, quam appellat chronicam, belladonnam, donec ardorem et ruborem in facie efficeret, aliquoties feliciter porrexit. Incommoda quidem deminuta, tamen uno vel duobus diebus post eadem, ac fuerant, recurrentia vidit.

Opium. In constitutionibus plethoricis, congestionibus in partes nobiles, crisibus imminentibus, sordibus gastricis, proclivitate ad obstructiones hoc omnino est evitandum. Quae conditiones si aberant, semper in sananda chorea utile repertum est. Brandis (262) in paroxysmis vehementibus magnas doses corticis Peruviani et opii, 2 ʒ cort. Peruviani in apyrexia et 120 guttas laudan. liq. Sydenh. hora ante paroxysmum prospero eventu propinavit. Febris evanuit, opio vim suam narcoticam omnino non ostendente. Eius usum in clysmatibus iam sub castoreo commemoravi. Magni momenti est etiam invicem usurpatus cum balneis e Kali paratis secundum Stuetzii methodum (263).



Rad. Paeoniae officinalis. Starck (264) eam cum cort. quassiae, lichene Island. et diaeta nutriente coniunctam imprimis commendat, si aegroti masturbatione debilitati sunt. Schwartze (265) dicit, eam, etsi in chorea aliisque affectionibus spasticis prospere usurpatam, tamen habendam esse remedium incertum. Bernt (266). Iam raro tantum illa utuntur.

Camphora. Si refrigeratio morbi causa est, cutis aridissima, siccissima, debilitas universalis magna, frigus, habitus pallidus observatur, imprimis vero in irritatione seminali plurimum ab illa exspectandum erit. Desperrieres (267) duas sorores, in quibus malum pertinax cum evolvendis mensibus coniunctum erat, postquam multa frustra adhibuerat, insessibus ex decocto flor. chamomillae, cui 2 drachmas camphorae in ovi vitello solutae addidit, compositis sanavit. Non dubito, quin hae observationes verae sint, sed Desperrieres nimium contendit, si ex iis colligere vult, camphoram esse optimum choreae antidotum.

Asa foetida. Bene haec adhibetur, si vermibus et obstructionibus chorea nititur Hufeland (268). In universum fortasse praesertim in complicatione hysterica in clysmatibus optime praebebitur.

Fel tauri recens et inspissatum. Hoc remedio amaro excitante Thilenius (269) cum galbano, sapone medico et rad. ialappae contra incommoda vermibus effecta in pilulis feliciter usus est. Attamen in infarctibus hepatis, digestionis debilitate, ab omni statu inflammatorio

aliena, per vices cum rad. rhei et chilidonio maiori imprimis adhibendum erit.

Tonica roborantia. Si cum chorea in typo intermittente fibra laxa coniuncta est, non plethora, neque inflammatio localis, neque obstructiones, nec digestio debilis, praecipue cortex Peruvianus saepius prospere adhibitus est. Non raro tamen unus alterve horum statuum illum adhiberi vetat, attamen Schaeffer flores zinci, valerianam, extract. chamom. et fol. aurantii, sola data, parum efficere vidit. Cum vero ferrum et cortex Peruvianus addita essent, sanatio mox sequebatur, ergo, nisi aegroti status illum porrigi vetet, ut saepius his remediis adiungatur, suadendum erit.

Neque tamen multi defuerunt observatores, qui, virium vitalium aberrationes annis evolutionis necessariam earum inter se pugnae sequelam habentes, contenderent, optimum esse nulla adhiberi medicamenta. Nixi sunt experientia, choream, quamvis nihil contra ipsam usurpetur, raro exitum infaustum habere, medicamenta etiam laudatissima saepe nihil efficere, denique paroxysmis saepe admodum leniri morbum. Hoc e. g. exemplum a Scherero (270) laudatum probat, in quo intra quatuor hebdomades, quoniam ferrum quaterdecies adhibebatur, prorsus nullus paroxysmus accidebat, tum vero aegrota ipsa, quoniam semper chorea, quae iam viginti quatuor annos perduraverat, paroxysmo magnopere lenita erat, illum cupiebat. Mihi tamen magnus remediorum nonnullorum usus secundum observatores praeclaros commendandus videbatur, atque euncem faustum effectum illis adhibitis in posterum



exspectari posse arbitror, dummodo in singulis exemplis sub cautionibus necessariis feliciter eligantur. Contra dysuriam magno usui est mixtio e ♂ sem. lycopod. ʒβ, spiritus foenicul ℥iii Δ foeniculi ℥ IV S. quater quotidie cochlear maius sumatur.

## V. Apotherapia.

Irritabilitatis auctae status, qui annis, quibus pubertas excolitur, paene semper adest, chorea feliciter sanata, imprimis diaetam continuatam, balneorum usum et aptam psyches tractationem requirit. E tonicis cortex Peruvianus et ferrum, quorum diversa praeparata e rebus eligenda sunt, primum obtinent locum.

## Loca citata.

1) Nicolai Tulpii Amsteredamensis Observationes Medicae. Editio nova. Amstelredami apud Lud. Elzevirium 1652 lib. primus, p. 36, caput XVI. Confer. Hannöversches Magazin. Erster Jahrgang vom Jahre 1763, 89stes Stück p. 1409 seqq.

2) Dr. Laurentius Heisters Medicinische, Chirurgische und Anatomische Wahrnehmungen. Rostock 1753, p. 796, 472ste Wahrnehmung. Von einer besondern Lach- und Tanzkrankheit an einem jungen Barbier von 18 Jahren. Confer F. B. Osiander über die Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. 1 Th. Göttingen 1817, p. 59.

3) Hannaeus in Misc. Cur. s. Ephem. Med.-Phys. Germ. Acad. Caes. Leopold. Nat. Curios. Dec. III. An. V et VI, Lips. et Francof. 1700, p. 556.

4) Hippocratis opera lib. II. Sect. II. P. 82, Edit. Foesii, Francof. 1545.

5) Galeni liber praenotionum secundus.

6) Dr. J. E. Hebenstreit Erklärung der griechischen Wörter von Krankheiten des menschlichen Körpers. 2te Auflage Leipzig 1760 p. 433.

7) Francisci Boissier de Sauvages Nosologia methodica sistens morborum classes. Tomus I. Amstelodami sumptibus fratrum de Tournes 4 1768 p. 590.

8) Caji Plinii secundi historia naturalis. Editio Franzii Lipsiae 1788 lib. XXV cap. VI.

9) Kurt Sprengels Handbuch der Pathologie. Dritter Theil. Dritte Auflage. Leipzig 1810 bei Kühn p. 497, §. 782.

10) Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde von K. Sprengel 2 Th. 3te Auflage. Halle 1823, p. 691.

11) Chronik der Seuchen in Verbindung mit den gleichzeitigen Vorgängen in der physischen Welt und in der Geschichte der Menschen von Dr. Friedrich Schnurrer. Erster Theil. Tübingen bei Osiander 1825, p. 346—348. Confer. Huf. Journal Bd. 26, Stück 3, p. 74 seqq.

12) J. Bollandus. Acta Sanctorum Iunii, ex latinis et graecis aliarumque gentium monumentis servata primigenia veterum scriptorum phrasi. Tomus Junii II. Antuerpiae 1698 folio p. 1013 — 1042.

13) Dörptscher Kalender auf das Jahr 1829. Dorpat bei Schünmann.

14) Schnurrer l. c.

15) Arnolds Kirchen- und Ketzer-Historie P. I.

lib. XIV., c. 2. §. 4, Universal-Lexicon Tom. XLVI. pag. 1011, seqq.

J. M. Mehlichs historisches Kirchen- und Ketzer-Lexicon. Chemnitz 1758, Bd. 2, p. 759.

16) Schnurrer. l. c.

17) Die Weltgeschichte von K. F. Becker. T. V. Zweite Auflage. Berlin, 1807, pag. 238.

18) Kurt Sprengel's Handbuch der Pathologie. Dritter Theil. Dritte Auflage. Leipzig, 1810, bei Kühn. pag. 275, §. 458.

19) Ueber das Alter der Menschenpocken und anderer exanthematischer Krankheiten, von C. F. T. Krause. M. D. Hannover, 1825, p. 19.

20) Abrah. Kaau Boerhave: impetum faciens dictum Hippocrat. Lugd. Batav. 1745, pag. 188.

21) Dr. Ioh. Andreas Scherers Geschichte und Heilung des groſsen Veitstanzes im Iournal der pract. Arzneikunde und Wundarzneikunst von Hufeland. 3. Band. 4. Stück. Iena, 1797, p. 607.

22) F. C. Medicus. Geschichte periodischer Krankheiten. Carlsruhe, 1764. Buch I. Cap. I. p. 36.

23) Thomae Sydenhami opera omnia. Tomus I. Genevae apud fratres de Tournes. 1769, p. 360.

24) I. E. Wichmann. Ideen zur Diagnostik. Bd. I. Zweite Auflage. Hannover, 1800, p. 144 — 145.

25) I. E. Wichmann. l. c.

26) I. F. A. Schulz, de chorea Sti Viti diss. inaug. med. Berolini, 1821, p. 14.

27) I. E. Wichmann. l. c.

28) Dr. Schäffer, von der krankhaften Irritabilität oder unwillkührlichen Muskularbewegung in der



Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche practischer Aerzte. 16. Band. Erstes Stück. Leipzig bei Dyck, pag. 127.

29) J. C. Reil, über die Erkenntniſs und Cur der Fieber. 4. Band. Halle, 1802, §. 104, p. 556.

30) I. P. Frank, de curandis hominum morbis epitome edidit I. Eyerel. lib. VII. Viennae, 1805, pag. 71.

31) I. P. Frank, l. c. p. 72.

32) A. G. Richters specielle Therapie, herausgegeben von G. A. Richter. Bd. VII. Berlin, 1820, pag. 723.

33) Richter. l. c. p. 737.

34) Wichmann. l. c. p. 157. Dreissig, Handbuch der Pathologie der sogenannten chronischen Krankheiten. Leipzig, 1796, p. 337.

35) F. H. Brückmann, de morbis nervorum observationes quaedam singulares, diss. inaug. Göttingae, 1780, p. 9, §. 5. Confer. Wichmann. l. c. pag. 148.

36) Iosephus Bernt, monographia choreae Sti Viti. Pragae, 1820. p. 8. seqq.

37) Iosephus Frank, praxeos medicae universae praecepta partis secundae volumen primum, sectio secunda. Lipsiae, 1821, p. 244. §. XLVI.

38) Caesar. Leopoldinae Academiae Nat. Curios. Ephem. Med. Phys. Dec. III. Anni II. p. 188. obs. 128.

39) Richter. l. c. pag. 729.

40) G. C. Delarive, über eine besondere Abänderung des Veitstanzes im Physisch-Medicinischen Iournal nach Dr. Bradley und Dr. Willich ver-

mehrt von Dr. K. G. Kühn. Leipzig, 1800, pag. 58.
41) Sydenham. l. c.
42) Wichmann. l. c. pag. 156.
43) Sauvages. l. c.
44) Eckstein, im Archiv für medicinische Erfahrung, herausgegeben von Ernst Horn. Bd. III. Heft II. Berlin, 1803, pag. 301.
45) Dreissig. l. c. pag. 338, No. 4.
46) Rosenstiel und Herkenräth, in Hufelands Iournal der prakt. Heilk. VI. St. Decembr. Berl. 1823, pag. 56.
47) Hamburgisches Magazin für die Geburtshülfe von Gumprecht und Wigand. Bd. I. St. II. p. 161.
48) Sprengel. l. c. §. 460.
49) Richter. l. c. pag. 730.
50) Neues Magazin für Aerzte. Bd. 9. Stück I. Herausgegeben von E. G. Baldinger, 1787 p. 185.
51) Dr. Schäffer, in der Sammluug auserles. Abhdl. Bd. XVI. St. I. pag. 128.
52) Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen von Dr. K. G. Schmalz. Vierte Auflage. Dresden und Leipzig, 1825, pag. 34.
53) Medicinische und Chirurgische Bemerkungen von M. G. Thilenius. 2 Thl. Frankfurt a. M., 1814. pag. 19.
54) Archiv für med. Erfahrung von E. Horn, 1811. Bd. I. pag. 9.
55) Richter. l. c. pag. 727.
56) Wood im Iour. der prakt. Heilk. von Hufeland und Harles. V. St. May. Berlin, 1817, p. 90.



57) Einige Bemerkungen über die menschlichen Entwicklungen von P. F. Hopfengärtner. Stuttgart, 1792, pag. 10.
58) Delarive. l. c.
59) Eckstein. l. c.
60) Sydenham. l. c. pag. 361.
61) Thilenius. l. c. p. 20.
62) Sprengel. Bd. 3, p. 275.
63) P. Frank. l. c. p. 72.
64) Richter. l. c. p. 728.
65) Ant. de Haen ratio medendi. Vindob. 1757. Tom I. pag. 147.
66) Bibliothek der prakt. Heilkunde von Hufeland und Himly. 1812, VII. Bd. pag. 188.
67) Hufelands Iour. der pract. Heilk. VI. St. December. Berlin, 1823, pag. 63.
68) Hopfengärtner. l. c. pag. 11 — 12.
69) Bernt. l. c. pag. 14.
70) Hopfengärtner. l. c. pag. 38.
71) Iourn. der prakt. Heilkunde von Hufeland und Harles. II. Stück. August. Berlin, 1815, p. 23.
72) Thilenius. l. c. pag. 10.
73) Richter. l. c. pag. 732.
74) Iourn. der prakt. Heilkunde von Hufeland. II. Stück. August. Berlin, 1823, pag. 17.
75) Archiv für med. Erfahrung von E. Horn. Berlin, 1803, pag. 303.
76) P. Frank. l. c. pag. 72.
77) Richter. l. c. pag. 731.
78) Hufeland Iournal. VI St. Decbr. Berlin, 1823, pag. 63.
79) Hopfengärtner. l. c. pag. 13, 50, 54.

80) Thilenius. l. c. pag. 7. Confer. F. B. Osiander über die Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Erster Theil. Göttingen, 1817, pag. 64.

81) Dreissig. l. c. pag. 340, No. 14.

82) Brandis, in Hufelands und Harles Iournal der prakt. Heilk. II. Stück. August. Berlin, 1815, pag. 8.

83) Wichmann. l. c. pag. 146.

84) Tulpius. l. c. pag. 37.

85) Bonifox, in der Sammlung auserles. Abhdl. Herausgegeben von Koch. Leipzig, 1800. 1. Thl. pag. 198.

86) Brandis. l. c. pag. 23.

87) Thilenius. pag. 8.

88) Scherer. l. c. pag. 612. Confer. F. B. Osiander über die Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Th. 1. Göttingen, 1817, pag. 63.

89) Thilenius. pag. 9, seqq. Confer. Osiander. l. c. pag. 67.

90) Hopfengärtner. pag. 4, 21, 33.

91) Scherer. l. c.

92) Hopfengärtner. l. c. pag. 11.

93) Hopfengärtner. l. c.

94) Wichmann. l. c. pag. 149.

95) Hopfengärtner. pag. 31.

96) Brandis. l. c. pag. 13.

97) Hopfengärtner. l. c. pag. 51. Confer. Osiander, l. c. pag. 95.

98) Scherer. l. c. pag. 608.

99) Brandis. l. c. pag. 12. Confer. F. B. Osiander, über die Entwickelungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Erster Theil. Göttingen, 1817, pag. 63.



100) Brandis. l. c. pag. 13.

101) Hopfengärtner. l. c. pag. 47, 53, 54.

102) Dreissig. l. c. pag. 340.

103) Hopfengärtner. l. c. pag. 44.

104) Bernt. l. c. pag. 12.

105) Hufeland Iournal. Bd. 48. St. 4. pag 36. Berlin, 1819.

106) Stark, Handbuch zur Erkenntniſs und Heilung innerer Krankheiten. 2. Theil. Iena, 1800, pag. 164.

107) Medicus. l. c. pag. 33. 36.

108) Dreissig. l. c. pag. 343.

109) Dr. W. A. Haase, über die Erkenntniſs und Cur der chronischen Krankheiten. 2. Band. Leipzig, 1820, pag. 213.

110) Wichmann. l. c. pag. 159.

111) Scherer. l. c.

112) Hufeland Iournal. Bd. 48. St. VI. pag. 24.

113) Stark. l. c. pag. 164.

114) Buettneri diss. sistens functiones organo animae peculiares. Halae, 1794.

115) Bernt. l. c. pag. 19.

116) Litterarische Annalen der gesammten Heilkunde, herausgegeben von Dr. Hecker. Zweiter Iahrgang, 1826, October. Berlin und Landsberg a. d. W., im Verlage von Enslin, pag. 190 — 194, enthält eine Recension von Lichtenstädt, über I. A. Sohler's Abhandlung über den Veitstanz. Deutsch bearbeitete, vermehrte und verbesserte

Auflage der monographia choreae Sti Viti, von Ios. Bernt. Wien, bei Wimmer, 1826, S. XVI. und 214. (20 gr).

117) conf. No. 116.

118) Richter. l. c. pag. 741.

119) Thilenius. l. c. pag. 18, seqq.

120) Haases chronische Krankheiten. Leipzig, 1820, Bd. I. pag. 6 — 7.

121) Wichmann. l. c. pag. 144, seqq.

122) Richter. l. c. pag. 740.

123) Bernt, monographia choreae Sti Viti. Pragae, 1810, pag. 34, seqq.

124) Dreissig. l. c. pag. 336.

125) Wichmann. l. c. pag. 154.

126) Dreissig. l. c. pag. 337.

127) Medicus. l. c.

128) Dreissig. l. c. pag. 337.

129) Sauvages. l. c. pag. 592.

130) Schmalz. pag. 32, No. 279.

131) Sauvages. l. c. pag. 592.

132) Schmalz. l. c. pag. 32, No. 279.

133) Georgii Baglivi opera omnia medico-practica et anatomica. Antwerpiae apud Ruedigerum, 1734. 4. Dissert VI. de anatome, morsu et effectibus Tarantulae. pag. 599 — 640.

134) Baglivus. l. c. pag. 617.

135) Blumenbachs Handbuch der Naturgeschichte. 2. Ausgabe. Göttingen, 1782, pag. 396.

136) I. Frank. l. c. pag. 255.

137) Wigands Geschichte eines St Veitstanzes bei einem 14 jährigen Mädchen, der mit tödlichen Convulsionen endigte, im Hamburg. Magazin



für die Geburtshülfe von Gumprecht und Wigand. Bd. 1, Heft 2, pag. 155.

138) Dr. Renard, im Iournal der prakt. Heilkunde von Hufeland und Harles. 2. Stück, Februar. Berlin, 1815, pag. 100.

139) Richter. l. c. pag. 743.

140) Observationum Felicis Plateri libri tres. Basileae, 1680, lib. I. pag. 37.

141) Tulpius. l. c. caput XVII, lib. IV. pag. 300, cap. V.

142) Sydenh. l. c.

143) Max. Iac. du Man in Sammlg. auserles. Abhdl. herausgegeben von Koch. Bd. 1. St. 3, p. 146.

144) Bonifox, in Sammlg. auserles. Abhdl. Bd. 1, pag. 200.

145) R. Mead medica sacra. Amstelod, apud P. Mortier 1749, de imperio solis et lunae in corpus humanum et morbis inde oriundis. p. 179, sqq.

146) Sauvages. l. c. pag. 591.

147) Dreissig. l. c. pag. 346.

148) Bernt. l. c. pag. 47.

149) Bernt. l. c. pag. 68.

150) Bernt. l. c. pag. 66.

151) Thalheim, de chorea Sti Viti diss. inaug. med. Berolini, 1823, pag. 32.

152) Kleine Beiträge zur Heilwissenschaft von Dr. S. Stiebel, Francf. a. M., 1823. XIV. und 223 Seiten. 8. Confer. Allgemeine Medicinische Annalen des 19. Iahrhunderts auf das Iahr 1823, herausgegeben von Dr. Pierer und Dr. Choulant. Leipzig, bei Brockhaus, pag. 20.

153) Lichtenstädt. l. c.

154) Sohler. l. c.
155) I. Frank. l. c. pag. 261.
156) Richter. l. c. pag. 745.
157) Beiträge zur Erkenntniſs und Heilung der Lebensstörungen, von A. T. Brück. Bd. 1. Hamburg, 1827.
158) Annales scholae clinicae medicae Dorpatensis annorum 1818, 1819 et 1821, sumptibus publicis editi ab instituti directore D. I. F. Erdmann. Dorpati, 1821, p. 17.
159) Hopfengärtner. l. c. pag. 54 — 112.
160) Ueber die Entwickelungen und Entwicklungs-Krankheiten des menschlichen Organismus. In sechs Vorlesungen von Adolph Henke. Nürnberg, 1814. pag. 121 — 169.
161) F. B. Osiander, über die Entwicklungskrankheiten in den Blüthenjahren des weiblichen Geschlechts. Erster Theil, enthaltend die seltenen und wunderbaren Geistes - und Leibeszufälle in diesem Alter. Göttingen, 1817.
162) Handbuch der Krankheiten des Weibes, von I. C. F. Iörg. Leipzig, 1821, §. 4 — 57.
163) Lehrbuch der Gynäkologie, von C. G. Carus. Erster Theil. Leipzig, 1828.
164) Iörg. l. c. pag. 19, §. 20.
165) Osiander. l. c. pag. VI.
166) Handbuch zur Erkenntniſs und Heilung der Kinderkrankheiten, von A. Henke. Frankfurt a. Main, 1821. Thl. I. pag. 37.
167) Hopfengärtner. l. c. pag. 95.
168) Mullier, in der Sammlung auserlesener Abhandl. Band 21, pag. 598.



169) Carus. l. c. Bd. 2, pag. 398.
170) Clarus, Annalen des klinischen Instituts zu Leipzig. 1. Bd. 2. Abtheilung, 1812, pag. 194.
171) Thilenius. l. c. pag. 4.
172) Desperrieres, in der Sammlung auserl. Abhdl. pag. 15, p. 465.
173) Dreissig. l. c. pag. 344.
174) Dreissig. l. c. pag. 343.
175) Dreissig. l. c. pag. 344.
176) I. Frank. l. c. pag. 256.
177) Scherer. l. c.
178) Stoll, ratio medendi. T. 3, pag. 405.
179) Bernt. l. c. pag. 55.
180) Thilenius. l. c. pag. 23.
181) Wendt. Fünfte und sechste Nachricht von dem Krankeninstitut zu Erlangen. 1785. pag. 21.
182) Stoll, ratio medendi. T. 3, pag. 416.
183) Mullier, in der Sammlung auserles. Abhdl. Bd. 22. pag. 595.
184) Max. Iac. du Man, in der Sammlung auserl. Abhdl. Bd. I. St. 3, pag. 146.
185) P. Frank. l. c. pag. 72.
186) Wendt l. c. pag. 21.
187) Richter. l. c. pag. 749.
188) Richter. l. c.
189) I. Frank. l. c. pag. 260.
190) P. Frank. l. c. pag. 76.
191) Desperrieres, in der Sammlung auserles. Abhdl. Bd. 15, pag. 462.
192) Wigand. l. c.
193) Thilenius. l. c. pag. 4.
194) Mullier. l. c. pag. 596.

195) Bernt. l. c. pag. 60.
196) Brandis. l. c. pag. 28.
197) Scherer. l. c.
198) P. Frank. l. c. pag. 77.
199) Stoll, ratio medendi. T. 3, pag. 416.
200) Kühns physisch med. Iournal I, pag. 517.
201) Wigand. l. c.
202) Dreissig. l. c. pag. 347.
203) Thilenius. l. c. pag. 23.
204) K. Sprengels Handbuch der Pathologie. Leipzig, 1810. Bd. 2, pag. 330.
205) P. Frank. l. c.
206) Scherer. l. c.
207) Thilenius. l. c. pag. 22.
208) Bonifox, in Sammlung auserles. Abhdl. Bd. 1, pag. 199.
209) Desperrieres, in Sammlung. auserles. Abhandl. Bd. 16, pag. 463.
210) Brandis. l. c. pag. 20.
211) I. C. Reil, über die Erkenntniſs und Cur der Fieber. 4. Band. Halle, 1802, p. 215.
212) H. Matthias Marcard, über die Natur und den Gebrauch der Bäder. Hannover, 1793.
213) Desperrieres. l. c.
214) Sammlg. auserles. Abhdl. Bd. 5, St. 2, p. 218.
215) Haase. l. c. pag. 220.
216) C. A. F. Kluge, Versuch einer Darstellung des animalischen Magnetismus als Heilmittel. Berlin. 1811, pag. 525, p. 349.
217) Max. Iac. du Man, in der Sammlung auserles. Abhdl. Bd. 1, St. 3, pag. 23.



218) Ant. de Haen, ratio medendi. Vindob. 1757. T. 1, pag. 142.
219) Kluge. l. c. pag. 6.
220) Hagenbach und Huber, in der medicinisch-chirurgischen Zeitung. Bd. I. 1802, pag. 260.
221) I. C. Becker, de musicae vi salutari. Berol. 1821.
222) Reil. l. c. pag. 101.
223) Hippocratis Aphorismi, lib. 5, Aph. 33.
224) Mullier, in der Sammlg. auserles. Abhdl. Bd. 22, pag. 591.
225) Madier, in der Sammlung. auserles. Abhandl. Bd. 1, St. 4, pag. 7.
226) K. Starck, in der medicinisch - chirurgischen Zeitung. 4. Bd. 1808, pag. 127.
227) Stoll, ratio medendi. Bd. 3, pag. 416.
228) Monro, in der Sammlg. auserles. Abhdl. Bd. 22, pag. 596.
229) Versuch über die Metastasen, von I. D. Brandis. Hannover, 1798.
230) Dr. Gregory, in der Sammlung auserles. Abhdl. Bd. 22, pag. 596.
231) Mullier. l. c.
232) Schwartze, pharmakologische Tabellen. Th. 2, pag. 171. Leipzig, 1819.
233) Huf. Iourn. Bd. 48, St. 6, pag. 10.
234) Schäffer, in der Sammlung auserles. Abhandl. Bd. 16, 1. St. pag. 128.
235) Max. Stoll, pars tertia rationis medendi. Viennae Austriae, 1780, pag. 407.
236) Huf. Iourn. l. c.
237) Bernt. l. c. pag. 97.
238) Richter. l. c. pag. 761.

239) Starck. l. c. pag. 165. Confer. Hufl. Iourn. Bd. 26, St. 3, p. 81. Iac. Robol, in Sammlg. auserles. Abhdl. 7. Bd. 2. St. pag. 447.
240) Huf. Iour. der prakt. Heilkunde. VI. St. Iuni. Berlin, 1819, pag. 10.
241) Schwartze. l. c.
242) Haase. l. c. pag. 206.
243) Niemann, in Huf. Iourn. 2. St., August. Berlin, 1823, pag. 13.
244) Odier. Sammlung. auserles. Abhandl. Bd. 17, pag. 270. Cf. Bd. 11, 1. St. pag. 167. Thomassen a Thuessink, in Verhandelingen te Vlissingen, Deel XIV. pag. 363. Sammlung auserles. Abhandl. Bd. 17, pag. 266.
245) Salter, in der medic. chir. Zeitung. Bd. 2, 1820.
246) A. G. Richters chirurgische Bibliothek. Bd. V. St. 1, pag. 120.
247) Horns Archiv, 1812. St. 1, pag. 185.
248) Schwartze. l. c.
249) Iahn, praktische Materia medica. Th. 2, p. 673.
250) P. Frank. l. c. pag. 72.
251) Bouteilles Sammlung auserles. Abhdlg. Bd. 4, St. 2, pag. 103.
252) Richter. l. c. pag. 762.
253) Bernt. l. c. pag. 101.
254) Bonifox, in Sammlung auserles. Abhdlg. Bd. 1; St. 3, pag. 199.
255) Madier, in Sammlung auserles. Abhandlg. Bd. 1, St. 4, pag. 204.
256) Richter. l. c. pag. 762.
257) P. Frank, l. c. pag. 78.



258) Thouvenel, in der Sammlung auserles. Abhandl. Bd. 10, St. 2, pag. 123.
259) Donald Monro, in der Sammlung auserles. Abhandlg. Bd. 5, St. 2, pag. 320.
260) Stoll. l. c. pag. 407.
261) Thilenius. l. c. pag. 24.
262) Brandis. l. c. pag. 9.
263) Hagenbach und Huber, in der medicinisch. chirurgisch. Zeitung. Bd. 1, 1802, pag. 261.
264) Stark. l. c. pag. 166.
265) Schwartze. l. c.
266) Bernt. l. c. pag. 91.
267) Desperrieres, in Sammlung auserles. Abhandlg. Bd. 15, pag. 464.
268) Hufl. Iourn. Bd. 1, pag. 153.
269) Thilenius. l. c. pag. 9, p. 13.
270) Scherer. l. c.

## Theses.

Nullus exstat transitus inter naturae mortuae et vivae vires.

Cujusvis veritatis cognitio medicinae practicae inservit.

Morborum stadia duo.

Febres malignae non constituunt singularem classem.

Synchondrotomia non omnino rejicienda

Quorundam obstetriciorum sententiam, placentae solutionem, sectione caesarea facta, naturae esse committendam, rejicio.

Nil facere in arte medica difficillimum.